32101 068923901

Digitized by Google

Library of
Princeton University

The
Mrs. J. O. H. Pitney
Collection of
International Law
and
Diplomacy

Digitized by Google

Digitized by Google

A. KLUIT,

PRIMAE LINEAE

COLLEGII

*DIPLOMATICO-HISTORI-
CO-POLITICI.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIMAE LINEAE
COLLEGII
DIPLOMATICO-HISTORICO-POLITICI,

SISTENTES

VETVS IVS PVBLICVM BELGICVM HISTORICE ENARRATVM,

ET EX ANTIQVIS MONVMENTIS ET VETERIS AEVI DIPLOMATIBVS ILLVSTRATVM.

AVCTORE

A. KLVIT,

ANTIQVITATVM, ET HISTORIAE, IMPRIMIS DIPLOMATICAE, FEDERATI BELGII

PROFESSORE ORDINARIO

IN VNIVERSITATE LEIDENSI.

LVGDVNI BATAVORVM,

APVD CORN. VAN HOOGEVEEN, IVN.

M D C C L X X X.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Novum ingredior campum, viam hactenus tritam nemini. Iuris publici et Hiſtoriae Germanicae vestigiis atque principiis inſiſtens, hanc ſolam et unice veram esſe viam reperi, qua Hiſtoria Belgica et omnis Reipublicae ſub Belgis Principibus formula commode indagari, et explicari feliciter posſit. In his aliorum iudicium non reformido, dummodo modeste id et absque livoris vel acerbitatis nota feratur, neque ſarcasmis, calumniis, ſugillationibus, ſed argumentis et monumentis res transigatur. Placide monenti gratias agam. Tabulas *adieci* Chronologicas, *quarum utilitatem ipſe doceat uſus.* Vale.

(ACPP(r)
1932
528

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS
HVIVS
EPITOMES.

CAPVT I. Introductio. . . . . p. 1—3

PARS DIPLOMATICA.

CAP. II. Externi Diplomatum Characteres. . p. 3—6
CAP. III. Interni Diplomatum Characteres. . p. 6—14

PARS HISTORICO-POLITICA.

CAP. IV. Primaevus Belgii Status ſub Romanis. Periodus Romana. . . . . p. 15—16
CAP. V. Europae (*a*) conditio ac ſtatus Politicus ſub Francis. . . . . p. 16—30
CAP. VI. Belgii conditio ac ſtatus Politicus ſub Regibus Francis. Periodus Francica. . p. 30—33
CAP. VII. Belgii conditio ac ſtatus Politicus ſub Imperatoribus Germanis. Periodus Germanica. . p. 33—37
CAP. VIII. De Superioritate Territoriali Principum Belgarum in genere. . . . p. 37—45
CAP. IX. De Superioritate Territoriali, ſpeciatim de Poteſtate Legiſlatoria, Principum Belgarum. p. 45—49
CAP. X. De origine Magiſtratuum in Belgio, et de iure Principum circa eos. . . p. 49—54
CAP. XI. De Poteſtate Iudiciaria Principum Belgarum. . . . . . p. 54—65
CAP. XII. De iure Belli, Pacis, et Federum Principum Belgarum. . . . p. 65—77
CAP. XIII. De iure Principum Belgarum concedendi Privilegia. . . . p. 77—94
CAP. XIV. De origine, iure, et auctoritate Ordinum ſive Statuum Provincialium Belgii ſub Principibus. . . . . p. 94—120
CAP. XV. De iure Principum Belgarum collectandi ſive ſubſidia expetendi. . . . p. 121—158

Ac.

(*a*) In ipſo Opere Cap. V. p. 16. perperam in fronte habetur *Belgii conditio* pro *Europae*; quod vitium aequus corrigat lector.

Digitized by Google

Accedunt TABVLAE CHRONOLOGICAE, ſiſtentes, Annos, Indictiones, Imperatores, Reges, Epiſcopos, Duces, Comites Belgii; nec non Tabulas Paſchales, dies festos, nomina ſanctorum, computationes dierum ac feriarum, quaeque plura ad rectam ac facilem Chronologiae Diplomaticae intelligentiam pertinent.

TABVLA I. CHRONOLOGICA, quae per XII. columnas exhibet 1°. Annos Christi. 2. Indictiones. 3. Literam cuiusvis anni Dominicalem. 4. Cyclum Solarem. 5. Cyclum Lunarem ſeu Numerum aureum. 6. Diem Paſchatis per omnes medii aevi annos. 7. Pontifices Romanos. 8. Reges et Imperatores Germaniae. 9. Reges Franciae. 10. Epiſcopos Traiectinos. 11. Dynastas, Comites, et Duces Gelriae. 12. Dynastas et Comites Hollandiae.

TAB. II. ſive KALENDARIVM MEDII AEVI, in quo ordine alphabetico digesti ſunt dies feſti ſanctorum; notae festorum chronicae; introitus in eccleſia cantari ſoliti; nomina Pontificum Rom., Impp. Germ., Regum Franc., Episcoporum, Ducum, Comitum Belgii, quaeque alia multa ad pleniorem Rei Diplomat. cognitionem chronicam ſpectant, Latine, Gallice, Belgice, Germanice.

TAB. III. Ratio computandi dies Paſchatis per ſingulos annos, et inveniendi Literam Dominicalem.

TAB. IV. Catalogus et ſeries *Festorum* omnium *Mobilium*, qui diem Paſchatis ſestum proxime antecedunt vel ſequuntur.

TAB. V. Ratio cognoſcendi *feriam* ſive diem hebdomadis, in quam incidit prima dies cuiusvis menſis per ſingulos annos.

TAB. VI. Ratio investigandi *ferias* ſive *dies hebdomadis* per ſingulos cuiuslibet menſis dies.

TAB. VII. Catalogus variarum appellationum Festorum Mobilium per omnes Dominicas, Introitus, et Dies; Latine, Gallice, Belgice.

TAB. VIII. Harum appellationum facilis ad ſingulos cuiuslibet anni dies alligatio.

PRI-

PRIMAE LINEAE
COLLEGII
DIPLOMATICO - HISTORICO - POLITICI FEDERATI BELGII,

IN VSVM AVDITORVM.

CAPVT I.

Introductio.

§. 1. *Vtilitate* ac *voluptate* ex *Hiſtoriae Patriae* cognitione percipienda poſita, ponitur ſimul praeſtantia, utilitas, et neceſſitas huius Collegii, quod duabus Partibus conſtat.

1°. Diplomatica.

2°. Hiſtorico - Politica.

§. 2. Exponitur ratio denominationum *Collegii Diplomatici; Hiſtorico-Politici;* denique *Federati Belgii.*

§. 3. Quid ſint *Diplomata*?

§. 4. Quid ſit *ars Diplomatica?*

§. 5. Inſignis artis Diplomaticae cultura in Francia et in Germania.

§. 6. Multifarius huius Artis Diplomaticae uſus in variis cognitionis noſtrae partibus, ſpeciatim in *Hiſtoria*, cuius duo primarii fontes: *a*) Scriptores vel aequales vel aequalibus proximi. *b*) Acta publica ſive Documenta Diplomatica.

§. 7. Poſteriora prioribus praeſtant; quod oſtenditur a maiore *a*) *fide* *b*) *auctoritate* *c*) *cura*, aliiſque.

§. 8. Pravus hiſtoriae ſcribendae mos, ſine probationum ſubſidiis, hodie iterum invaleſcens.

Digitized by Google

§. 9. *Artis Diplomaticae* uſus in duobus *Hiſtoriae* adminiculis, *a*) veteris aevi *Geographia*, et *b*) *Chronologia.*

§. 10. Artis Diplomaticae multiplices utilitates in eruendo et explicando iure Belgico cum publico tum civili, et in eius initiis, progresſibus, immutationibus recte cognoſcendis.

*) Quod per partes oſtenditur, in iure publico; privato; feudali; re agraria, cett.

§. 11. Diplomatum uſus in *foro* et probatione iudiciali.

§. 12. Eorum uſus in eruendis *antiquitatibus Belgicis.*

§. 13. In ſtudio *Linguarum*, imprimis Belgicae, antiquae et hodiernae.

§. 14. In ſtudio *Genealogico*, quod ſine Diplomatum ope caecum est et inane.

*) Probatur exemplis ex Germania, Francia, et Belgio petitis.

§. 15. *Genealogici* Studii primaria ſustentacula, *Sigilla*; *Inſignia gentilicia*; *Cognomina*, ex ſolis Chartis petenda.

§. 16. In ſtudio *Heraldico.*

§. 17. Neglectum olim hoc Studium Diplomaticum in Belgio, et quam necesſarium?

§. 18. Exhibentur Scriptores exteri, qui Rei Diplomaticae utilitatem et necesſitatem pluribus probarunt.

§. 19. Promuntur ſubſidia Diplomatica, cum *generalia*;

§. 20. Tum *ſpecialia*, quae rerum patriarum cognitionem promoveant. Horum pro duplici fine duplex Scriptorum eſt ſpecies, qui vel *Artis Diplomaticae* elementa tradiderunt, vel ipſos fontes indicarunt, et Diplomata, Acta Publica, Privilegia, ex Archivis depromſerunt.

§. 21.

Digitized by Google

§. 21. Subſidia Hiſtorico-Politica, quae fontes Juris Publici, imprimis Belgici, exhibent, et ea, quae ad res Belgicas recte intelligendas faciant.

PARS DIPLOMATICA.

CAPVT II.

Externi Diplomatum Characteres.

§. 22. Duobus hoc argumentum Capitibus abſolvitur; prius de *externis* agit Diplomatum Characteribus, poſterius de *internis.*

§. 23. Peringens Chartarum et Diplomatum copia ex medio aevo ſuperest.

*) Variae huius rei rationes recenſentur.

§. 24. In tanta Tabularum multitudine interdum nonnullae falſae irrepſerunt.

§. 25. Vnde orta ſunt *bella Diplomatica* ſuper nonnullis ſuspectae fidei Chartis.

§ 26. Quam parum falſariorum tentamina profecerint, oſtenditur exemplis et testimoniis. Exigit igitur fides Diplomatica, ut eorum cum *externam* tum *internam* faciem cognoſcamus.

§. 27. 1) Ad Externa referuntur *Materia*, in qua ſcribitur; quae olim multiplex.

*) *Tabellae ligneae, papyrus Aegyptiaca, lapides, folia arborum, cera, charta corticea, bombycina,* denique vulgaris maxime *membranacea* ſive *pergamena.*

§. 28. Quo ſeculo uſus Chartae *linteae* ſive *lineae* ex panniculis ſeu laciniis uſu detritis confectae invaluit.

§. 29. Primus *Chartae linteae* in Diplom. uſus penes nos.

Digitized by Google

§. 30. 2) *Lingua*, olim *Latina*. Quando *Linguae Germanicae* et *Gallicae* uſus in Chartis invaluit.

§. 31. Origo et antiquiſſima Linguae *Germanicae* ac *Belgicae* Scriptorum monumenta.

§. 32. Primus Linguae *Belgicae* uſus in Chartis. Itidem in Actis et Tribunalibus.

*) Quid olim in his licitum?

§. 33. 3) *Scriptura*. Vbi 4^or^. imprimis obſervanda, *a*) *literarum forma*. *b*) vetusta interpungendi ratio. *c*) *notae*, ſive *ſigna* abbreviationis. *d*) notae numerales, vulgo *Ciſrae*, earumque formae in Chartis.

§. 34. Adduntur nonnulla de *Literarum* et *Scribendi* origine.

§. 35. 4) *Sigilla*. Horum *generatim* conſideratur *a*) materia, *b*) color, *c*) forma, *d*) inſcriptio realis et literalis, *e*) affigendi modus, *f*) auctoritas.

§. 36. *a*) In Sigillis diverſa obſervanda eſt Materia, imprimis *cera*. Quid *aurea bulla*?

§. 37. *b*) Variavit admodum cerae *color*.

*) Obſervationes circa colorem, imprimis *rubrum*.

§. 38. Quid apud Belgii Principes obtinuit.

*) Vbi de Sigillis *Epiſcoporum*, *Ducum* et *Comitum*.

§. 39. *c*) *Forma* Sigillorum admodum diverſa; vulgaris maxime uſus *rotunda*; dantur et *ovalia*, *parabolica*, *triangularia*, *quadrata*, *pentagona*, aliaque.

*) Exempla in nostris regionibus.

**) Quid *Sigilla Majestatis*.

§. 40. *d*) *Inſcriptio* Sigillorum *realis* conſtat *figuris*, *ſymbolis*, aliisque Simulacris.

§. 41. Antiquiſſimus Symbolorum uſus ad Sigilla etiam transiit; unde imprimis Ars *Heraldica* ſuam cepit originem et incrementum.

§. 42. Origo et uſus *Inſignium* ſive *armorum* familiae *gentiliciorum*.

§. 43.

Digitized by Google

§. 43. Prima, quae maxime frequentari coeperunt, inſignia.

§. 44. *Inſcriptio* Sigillorum *literalis* exhibet plerumque *nomina*, *titulos*, *cognomina*, *formulas*, *notasque* compendii cauſſa ſcriptas, ſive *abbreviationes*.

§. 45. Quid de formula *gratia Dei?*

§. 46. Quando *terrae Principum hereditariae* in Sigillis adiici coeperunt?

§. 47. *e*) Modus affigendi olim diverſus. Venerandae antiquitatis ſunt Chartae, quibus Sigilla impreſſa ſunt.

Postea *pendula* Sigilla adhibita, et quando?

*) Vtriusque uſus exempla in Belgio.

§. 48. *f*) *Auctoritas* Sigillorum, et variae illorum epochae.

§. 49. Accurate ſervabantur horum *Typaria* ſive *Typi Sigillares;* his praeficiebantur *Sigilli Custodes*, viri primarii.

*) Huiusmodi in Hollandia iam ſeculo XIII. memorantur (Vernac. *Grootzegelbewaarers.*)

§. 50. Variae circa illam Custodiam cautiones olim ſervatae. Frangebatur Sigillum mortui Principis. Mutabant ſaepe viventes Sigilla ſua.

*) Imp. Rudolphus octuplicis generis Sigillis uſus.
**) Variae huius immutationis causſae.

§. 51. Ad auctoritatem *Sigillorum* ſpectat etiam quaestio de *fide Diplomatis*, cuius Sigillum vel penitus vel ex parte perierit?

§. 52. Speciatim conſiderantur Sigilla *a*) Imperatorum et Regum cum *Franciae* tum *Germaniae*.

§. 53. *b*) *Epiſcoporum Traiectenſium.*

§. 54. *c*) *Comitum*, postea Ducum, *Gelriae.*

§. 55. *d*) *Comitum Hollandiae*, quae pro quincuplici Familiarum diſtinctione non modo, ſed in ſingulis etiam *familiis*, immo *Principibus*, admodum

dum variarunt; quorum nonnulli vel quatuor vel pluribus uſi ſunt Sigillis.

§. 56. Sigilla Principum α) ex familia ſive ſtirpe Hollandica. β) Hannonia. γ) Bavara. δ) Burgundica. ε) Auſtriaca.

§. 57. *e*) Sigilla *Nobilium*. Primus horum uſus, forma, ſymbola, cett.

§. 58. *f*) Sigilla *Vrbium*. Primus uſus, et antiquiora ſymbola.

§. 59. *g*) *Privatorum* Sigilla, et quando cognita? Hi ſaepe loco Sigilli *Chirographis*, ſive ita dictis *Indenturis*, vel *Chartis dentatis* utebantur.

*) Promuntur omnis generis exempla.

§. 60. Contraſigilla! Horum nomina, uſus, inſcriptiones, cett.

§. 61. 5) Ad *externa* ultimo loco referuntur *Monogrammata*. Horum forma et uſus antiquisſimus, et variae Epochae.

§. 62. Quid ſit in Chartis vetustis *manu propria roborare*, ubi nullum *manus propriae* vestigium apparet. Ecquando Principes, imprimis *Gelri* et *Hollandi*, *ſua* ipſorum *manu* ſubſcribere coeperunt? (§. 121.)

C A P V T III.

Interni Diplomatum Characteres.

§ 63. Quantum ad internos Diplomatum Characteres vetuſtos, conſiderantur

1°. Formulae initiales.

2°. Ipſum Diplomatum corpus et argumentum.

3°. Clauſulae.

§. 64.

§. 64. 1) Ad formulas initiales a multis referuntur *a*) *Invocationes*, *b*) *nomina* et *tituli* donantium vel exhibentium, *c*) *prooemium* ſive *introductio.*

§. 65. *a*) *Invocationis* variae formulae, pro *temporum*, *perſonarum*, *rerumque* diverſitate, quorum exempla in *Imperatoribus*, *Ducibus*, *Comitibus.*

§. 66. *b*) *Nomina* et *Tituli.* Tituli et formulae, *vir illuſter*, *dei gratia*, *dei beneficio*, *divina clementia*, *dei* et *apoſtolicae ſedis gratia*, imprimis formulae *ego* et *nos.*

§. 67. *c*) *Prooemia* ſive *introductiones*, in Donationibus deſumtae vel *a pio* vel *ab utili* vel ab alia *cauſa* impellente; ſaepe multis verborum involucris obtectae. In Actis publicis, ubi *Leges* promulgabantur, interdum ſimpliciter *mandamus*, *volumus*; ubi *Privilegia* concedebantur, petebantur vel *ab honesto*, vel a *fide*, vel *obſequio*, ſive *in ſpem futuri*, et ſimilia.

§. 68. 2) Ipſum Diplomatum Chartarumque veterum corpus ſive argumentum varium est atque diverſum. Pro huius varietate multiplex illorum est diviſio, imprimis reſpectu concedentium, *a*) in *Eccleſiastica* et ſic dicta *ſecularia.* Porro *b*) in *publica* et *privata.* *c*) Alia, quae vel ad plures ſpectant respublicas, ut ſunt *federa*, *tabulae pacis*, *ſanctiones pragmaticae*, vel ad unam duntaxat, ut ſunt *Leges*, *Privilegia*, *Edicta*, *Decreta*, *ſententiae.* *d*) Iterum alia, Acta et Documenta, cum *publica* tum *privata.*

*) Hæc omnia ſub *Diplomatis* nomine olim comprehenſa largam ac certam hiſtoricae politicaeque cognitionis materiem praebent, miſſis multorum ſcriptorum ex auditu ſaepe narrantium commentis.

§. 69. 3) *Clauſulae* Diplomatum ſive variae *formulae finales.* In his conſiderantur *a*) *tempus*, *b*) *locus*, *c*) *ſubſcriptio*, *d*) *testes.*

Digitized by Google

§. 70. *a*) Ad *Tempus* in Chartis generatim pertinent α) annus, β) menſis, γ) hebdomas, δ) dies ſive feria.

§. 71. α) *Annorum* variae epochae ſive aerae.

*) Maximae utilitatis est *aera Christiana.*

§. 72. Aerae Christianae Inventor, et primus eius in Chartis uſus.

§. 73. Variae, quibus indicatur, formulae, *incarnatio Domini* vel *Dominicae*, *annus gratiae*, cett.

*) Quid *annus nativitatis*, *circumciſionis*, *trabeationis?*

§. 74. Varia computandi anni initii ratio per omnem olim Europam; et confuſiones hinc crebro exortae.

§. 75. An et quinam annum inchoarunt ab 1°. et ab 25°. die Menſis Martii,

A die Paſchatis,

A die 1°. Ianuarii,

A die 25. Decembris, ſive die Christi natali.

§. 76. Quid in his Principes *Hollandiae*, *Gelriae*, *Traiectenſes?*

§. 77. Quid Vrbes et Privati?

§. 78. Quid *Stilus Francicus*, *ſecundum Curſum Curiae*, *ante Paſcha*, *post Paſcha*, ſimilesque formulae, Chartis adiectae, et quando exortae?

§. 79. Huic confuſioni inde crebro enatae quando obviam itum eſt?

§. 80. β) *Menſes* adiecti variis olim inſigniti nominibus, *Latine*, *Germanice*, *Belgice.*

§. 81. γ) *Hebdomadum* computatio, quae maxime invaluit Chartis.

§. 82 δ) Menſium dies ſaepe computantur more Romano per *Kalendas*, *Idus*, et *Nonas;* interdum per *ferias* hebdomadis, *primam*, *ſecundam*, *tertiam*, cett. Frequentius postea ſimplici nota numerali dierum.

§. 83. Sunt et aliae temporum notae, cum *certae*, tum *vagae.*

§. 84.

Digitized by Google

§. 84. Ad *Annos* inveſtigandos faciunt, 1) *Indictio.*

Explicatur *Indictio*; variae exhibentur huius ſpecies; computandi methodus, et regulae circa hanc obſervandae.

§. 85. 2) *Epactae*, quae explicantur.

§. 86. 3) *Anni* Regiminis *Imperatorum*, *Regum*, *Pontificum*, *Epiſcoporum*, *Ducum*, *Comitum*, quorum in promtu esſe debet cognitio iis, qui rei Diplomaticae ſeſe dedunt.

*) Hos annos maiori ex parte ſiſto *Tabula* I. *Chronologica*, in calce huius Epitomes adiecta.

§. 87. Multa hîc obſervanda et cavenda. *a*) Variae eiusdem ſaepe Principis Epochae.

*) Sic *Carolus Simplex* Rex Francorum *tribus*; *Carolus Calvus ſex*; *Fredericus* II. Imp. Germ. *quatuor*; Carolus V. pluribus etiam uſus eſt Epochis.

§. 88. *c*) Diverſum annorum Regiminis exordium, vel ab *electione*, vel a *confirmatione*, vel a *coronatione.*

§. 89. *d*) Redintegratio anni repetita ſaepe vel a die regiminis, vel a 1°. Ianuar. vel ab alio anni exordio.

§. 90. *e*) Errores in notis Chronicis vel *Syſtematici*, vel *Librariorum* ſeu deſcriptorum; qui per ſe non vitiant Diploma.

*) Scatent eiusmodi erroribus etiam *Inſcriptiones*, *Concilia*, *Acta Publica*, et alia Monumenta quam maxime authentica.

§. 91. Dantur et notae *Hiſtoricae*, quae rem quandam memorabilem deſignant.

§. 92. Saepe in Chartis occurrunt incertae temporum notae. Dantur notis Chronicis penitus deſtitutae; quas ex aliis circumſtantiis diiudicare oportet; aliae quibus numerus *millenarius* deest; vel ſimul cum eo numerus *centenarius.*

Digitized by Google

§. 93. Difficultatem rudibus rei Chronologicae imprimis parit deſignatio *Feſtorum.*

§. 94. Diſcrimen inter dies Feſtos *Mobiles* et *Immobiles.*

§. 95. *Immobiles* ſunt, dies *Natalis* Ieſu Chriſti 25. Dec., *Circumciſionis* 1. Ian., *Apparitionis* ſive Magorum 6. Ian., et quotquot *Sanctis* dicati; uti repraeſentantur *Tabula II. Chronologica.*

§. 96. *Mobiles feſtos* dies cognoſcendi primarium fundamentum eſt, noſſe illud Feſtum mobile, quod *Paſcha* appellatur; ex cuius computo pendent fere reliqui omnes dies feſti *Mobiles.*

*) Exhibentur *dies Paſchatis* per omnes medii aevi annos, *Tabul.* I. lin. 6.

§. 97. Ad *Paſchatis* computum ineundum requiritur *a*) *Numerus aureus* ſive *Cyclus Lunaris*, *b*) *Cyclus Solaris*, et *c*) *Litera Dominicalis.*

§. 98. Quid *a*) *Numerus aureus*, ſeu *Cyclus Lunaris*, et quomodo computatur.

§. 99. Quid *b*) *Cyclus Solaris*, et quae eius inveſtigatio.

§. 100. Quid *c*) *Litera Dominicalis*, et quomodo invenitur.

Horum ope ex *Tabula* I. lin. 3, 4, 5. facilis eſt calculi *Paſchalis* inveſtigatio per ſingulos annos. Cf. *Tab.* III.

§. 101. A *Paſchatis* feſto, ſemel cognito, pendent reliqui feſti maiores, e. g.

1°. Dominica *Septuageſimae.*

2°. Dominica *Quadrageſimae.*

3°. Aſcenſio Domini.

4°. Pentecoſte.

5°. Reliquae omnes *Dominicae.*

6°. Denique omnes *feriae* ſive dies *hebdomadis*, qui eiusmodi *Dominicas* ſequuntur.

§. 102. Quid Dominica *Septuageſimae*, et quomo-

modo inveniatur? Vid. *Tab.* IV. *Feſtorum Mobilium.*

§. 103. Quid Dominica *Quadrageſimae*, Gall. *Carême*, Belg de *Vaſten.*

§. 104. Reliquae *Dominicae* et *dies Feſti* a ſollemni Hymno, nomine *Introitus*, indicantur.

§. 105. *Introitus* eſt initium illius Hymni, qui, ſingulis *Dominicis*, *ante* et *poſt* Paſcha, celebratur, ſortitus nomen a carminis initio.

*) E. g. *Introitus* vel *Dominica qua cantatur* OCVLI, MIERIS *Charterb. D.* I. *bl.* 280. *Dominica Reminiſcere* ibid. D. I. bl. 113.

§. 106. Cognita ex *Tab.* I. Paſchatis Epocha, cognoſcitur ſimul ex *Tab.* IV. *lin.* 1ª., *Dominicam Oculi* eſſe ſemper *Dominicam* IIIᵃᵐ. *Quadrageſimae*, ſive IVᵃᵐ *Dominicam ante Paſcha*; et *Dom. Reminiſcere* eſſe Vᵃᵐ. ſive dies 35. ante Paſcha.

*) E. g. Apud MIER. *l. l. bl.* 113. ex TAB. I. Paſcha a. 1168. incidit in diem 31. *Mart.* Quod ſi per V. hebdomadas vel dies 35. retrogrediaris, incides in d. 25. Febr. Eſt ergo *feria* III. (ſive *Dingsdag na den Zondag Reminiſcere*) dies 27. Febr.

§. 107. Praeter Dominicas ab Cantus *Introitu* dictas aliae etiam *feriae* ſive *dies* ſequuntur *Paſchatis* feſtum, quos *Tab.* VII. ſuis recenſet nominibus.

*) E. g. huiusmodi ſunt:

a) *Vigilia Ieiunii* (Gall. *Mardigras*, Belg. *Vaſtelavond*,) qui ſemper eſt 47. dies ante Paſcha, vel *dies Martis* poſt *Quinquageſimam.*

b) *Caput Ieiunii* ſive initium (Gall. *le jour des Cendres*, Belg. *Aſchdag*) qui proximus eſt dies *Mercurii*, d. 46. ante Paſcha.

c) *Dies Viridium* (Gall. *Ieudi ſaint*, Belg. *Witte Donderdag*) qui Paſchatis feſtum proxime antecedit.

d) *Paſſio domini* (Gall. *Vendredi ſaint*, Belg. *goede of ſtille Vrydag*) qui *dies eſt Veneris* ante Paſcha.

e) *Dies Rogationum*, (Belg. *Kruisdagen*, qui dies ſunt 36, 37, 38. poſt Paſcha.)

f) *Aſcenſio Domini* (*Hemelvaart*) qui dies eſt *Iovis* Vᵃᵉ *Dominicae* ſive d. 39. poſt Paſcha.

§. 108.

Digitized by Google

§. 108. Alii alios ſequuntur dies, e.g. *Quatuor Tempora*, vulgo *Quatertempers*; quae 1) eſt feria IV. post *Quadrageſimam*, 2) *Fer.* IV.post *Pentecosten*, 3) post d. 14. Sept. et 4) post 13. Dec.

§. 109. Post oblatam tamen alicuius *hebdomadis feriam*, ſeu diem post festum *Sanctorum*, maior est difficultas investigandi, in quotum *Menſis diem*, ſingulos per annos, data eiusmodi *feria* incidat.

*) E. g. *Feria* IV. post *S. Iacobum* hoc vel illo anno.

§. 110. Tollitur omnis fere difficultas obſervatis hisce regulis:

1) Quaeratur dies festus istius *Sancti*, vel ſi qua alia *res* memorabilis, ex *Tab.* II.

§. 111. 2) Obſervetur etiam *Dominica*, quae quum ſemper ſit dies *Sabbati* (ſive *Zondag*); hinc facilis reliquarum *feriarum* est enumeratio.

*) Sic ex *Tab.* IV. col. 1. Dominica *Miſericordia* ſive *Dominica* II. post Paſcha ſit d. 15. Aprilis; ergo *feria* II. ſive dies Lunae istius Dominicae ſeu hebdomadis est dies 16. Aprilis: fer. III. est 17. Apr.) et ſic porro.

§. 112. 3) *Pridie* alicuius diei; Latine vocatur *vigilia*, (Gallice, *la vielle*, Belg. *daags* of *'s avonds voor* — —)

*) E. g. *In vigilia S. Lucae Euangelistae.* Dies *S Lucae* est d. 18. Oct. ex *Tab.* II. Est igitur *Vigilia S. Lucae* dies 17. Oct. Sic MIER. *Charterb.* D. I. bl. 228. *Vigilia Thomae Apoſtoli.* Ex *Tab.* II. est *Thomas* d. 21. Dec. Recte ergo *Vigilia Thomae dies* 20. *Decembr.*

§. 113. 4) *Postridie* alicuius diei Lat. est *crastinus*, (Gallice *Lendemain*, Belgice *daags na* of *des anderen daags*).

*) E. g. *in crastino S. Iohannis Baptistae.* Dies *S. Iohannis* est d. 24. Iun. ex *Tab.* II. Est ergo crastinus ille d. 25. Iun. MIER. l. l. D. I. bl. 231. *Crastino Tiburtii et Valer.* ex TAB. II. dies 14. Apr. Ergo *Crastinus* d. 15. April. Male MIERIS, d. 14. Apr.

§. 114. 5) Sollemnis est formula *Octavas diei* vel post

post diem, (Gall. *l'Octave*, Belg. *achtdagen* of *d'Octaven van* ——). Estque dies ſeptimus diei dato proxime ſucedens.

*) E. g. *Octavas S. Iohannis Bapt.* i. e. 31. Iun. quia *S. Iohann.* est d. 24. Iun.

§. 115. 6) *Infra Octavas*, ex ſtylo medii aevi pro *intra*, illum notat diem, qui intra has *Octavas* deſignatur.

*) E. g. *Dominica infra Octavas S. Ioh. Baptistae*, i. e. dies ille *ſolis*, qui inter festum S. Iohannis, d. 24. Iun. et diem ſeptimum, ſive 31. Iun. intercedit. Vt autem ſciatur, quonam die ex his dies *Dominica* hoc anno occurrat, reſpici debet ad ſequentes *Ferias*, eorumque computum, aliquanto intricatiorem.

§. 116. 7) *Feria* I, II, III, IV, etc. in Chartis maxime frequentantur. *Feria* I. vocatur *dies Dominica*, vel *dies Solis*, (vernacule *Zondag.*) Feria II. est dies Lunae (*Maandag.*) *Feria* III. *dies Martis* (*dingsdag*), et ſic porro.

*) Vt invenias, quoto cuiusque menſis die *haec feria* incidat, cognoſci anta omnia debet *litera Dominicalis* ſive *dies* hebdomadis, in quem *prima dies* anni propoſiti incidat. Ratio computandi literam *Dominicalem* dabitur *Tab.* III. ſed ipſam quoque literam ſuo quamque anno exhibet *Tab.* I. ubi

G. ſemper est Fer. II ſive *dies Lunae.*
F. ——— Fer. III. *dies Martis.*
E. ——— Fer. IV. *dies Mercurii.*
D. ——— Fer. V. *dies Iovis.*
C. ——— Fer. VI. *dies Veneris.*
B. ——— Fer. VII. *dies Saturni.*
A. ——— Fer. I. *dies Solis.*

Investigata litera *Dominicali*, primo nempe *Ianuarii* die, ſtatim ex *Tabula* V. investigatur, quota *litera* ſive *feria* ſinguli incipiant menſes; cognito vero primo cuiusquam menſis die ex *Tab.* V. ſingulos istius menſis dies ſubministrabit tibi *Tabula* VI. e. g. Volo quaerere, qua *feria* d. 24. Iun. a. 1254. incidat. Ex *Tab.* I. ann. 1254. est lit. Dom. D. At qui I°. die Ianuar. est D. ſeu *fer.* V. ille I°. die Iun. ex *Tab.* V. est Fer. II. Qui autem inchoante *Iunio* est fer. II., ex *Tab.* VI. ab die *Lunae*

ſive

Digitized by Google

ſive fer. II. ulterius usque ad diem 24. pergendo, monſtrabitur tibi, hunc diem 24. *Iunii* esſe feriam IV. ſeu *diem Mercurii*. Incidit ergo dies 24. Iun. Ao. 1254. in diem *Mercurii*.

§. 117. 8.) *Feria ante* vel *post* hunc vel illum *Sanctum* notat propoſitum diem iſtius hebdomadis, in quam *ſanctus* ille incidit.

*) E. g. *Feria* III. *ante festum S. Iacobi* notat *diem Martis ante* Festum *Iacobi*. Celebratur *S. Iacobi dies* ex TAB. II. die 25 Iul. Investigetur igitur, in quotum menſis diem, dato anno, *dies* ille *martis* ante 25 Iul. incidat. Vt ſupra.

**) E. g. MIER. III. bl. 346. et VAN DE WALL *Handv. van Dordr.* bl 325. *ghedaen des dinxdaghes na dertiendach* a. 1380. Ex TAB. II. *Dertiendag* est Belg. *drie Koningen*, dies 6 Ianuar. Quaere *Literam* Dominicalem anni 1380. ex TAB. I. quae est lit. *A*. Cognita lit. *A*. ſive ex TAB. V. *Feria* I., conſule TAB. VI. columna I., et habebis, post illum 6. Ian *dingsdag* ſive *Feriam* III. incidentem in diem 10 Ianuar. Est igitur *dingsdag na dertiendag* a. 1380. dies 10 Ian.

§. 118. Praeter notas Chronicas *annorum*, *menſium*, et *dierum*, *b*) in Chartis attenditur ad *locum*, ubi datae dicuntur Chartae.

§. 119. Inſignes adiectiones *locorum*.

§. 120. *Datum* et *actum* ſaepe differunt.

§. 121. *c*) *Subſcriptiones* Chartarum (§. 69.) quae fuerint olim et quomodo intelligendae.

§. 122. Quibus ſignis olim uſi ſint Principes, (§. 62.)

§. 123. *d*) *Testes* (§. 69.) in Chartis adhibiti, quare, et quomodo?

§. 124. Varii generis testes, etiam abſentes, formulaeque in his uſitatae.

§. 125 In *Belgio* testes olim adhibiti *Nobiles*, paullatim ad *testimonium* admisſae etiam *Vrbes*.

§. 126. Promulgarunt tamen ſoli Principes Edicta ac Privilegia, vel per ſe vel per *Conſiliarios* ſive *Conſilium* ſuum.

Hactenus de Diplomatibus. PARS

Digitized by Google

PARS HISTORICO-POLITICA.

CAPVT IV.

Primaevus Belgii Status ſub Romanis. Periodus Romana.

§. 127. Antequam uſus Hiſtoricus atque Politicus ex Diplomatariis ſive Chartulariis Belgicis et Actis Authenticis percipiendus per partes demonſtratur: nonnulla de *primaevo* Belgii veteris *ſtatu* praemittenda ſunt.

§. 128. Totius Belgii Status politici quatuor conſtitui *Epochae* posſunt.

1ª. Ab eo ducenda tempore, quo *Belgium* ſive Belgica Romanis innotuit, donec collapſum est Imperium Romanum, ac Belgium per varias nationes infeſtatum. Haec *Periodus Romana.*

2ª. Ab eo tempore, quo hae Regiones ſub generali *Friſiae* nomine cognitae Regibus Francis omnia late domantibus praeda cesſerunt, et a Regum miniſtris gubernatae ſunt. *Periodus Francica.*

3ª. Ab eo tempore, quo ſuos nactae ſunt Dominos alodiales atque feudales, ſub Imperio Germanico has terras posſidentes. *Periodus Germanica* ſive *ſerva ſub Dominis* ſuis. In hac ſubſiſtet omnis huius Epitomes delineatio.

4ª. Ab eo, quo, conſtituto nobilisſimo Septem Belgicarum Civitatum federe, et excusſo Dominorum iugo, Belgium ſui iuris esſe coepit. *Respublica libera et ſui iuris.*

§. 129. Prima Epocha, ſive *Periodus Romana*; in qua paucis deſcribitur *Belgii* ſitus et fines.

§. 130.

Digitized by Google

§. 130. Diſtinctio in populos *transrhenanos* et *cisrhenanos*, quomodo, et quis *Rheni* alveus hos discrevit.

§. 131. Inſulam *Rheni* intermediam coluerunt *Batavi.*

*) Quomodo hi *amici* et *fratres populi Rom.*? Reſedit nomen in *Inſula Batua*, hodie *de Betuwe*, poſtea *Pagi Francici* nomine inſignita.

§. 132. Exiguam igitur *Batavi* partem Belgii occuparunt; et ipſum nomen *Belgii* paullatim evanuit, pro eoque nova nomina audiri coepta, ex quibus *Friſia* omnem poſtea paginam implevit.

§. 133. Belgarum populorum vita publica et privata.

§. 134. Qui *Periodum* hanc *Romanam* fuſius explicarunt ſcriptores, recenſentur.

§. 135. Vestigia *Periodi Romanae* in Belgio proſtant quamplurima, & ingens *Antiquitatum Romanarum* hinc ſeges; quarum etiam exhibentur ſcriptores.

C A P V T V.

Belgii conditio ac ſtatus Politicus ſub Francis. Periodus Francica.

§. 136. F*ranci*, omnia late domantes, Victorias ſuas per Gallias, Germanias, atque adeo etiam per latiſſimos Belgii fines explicarunt, et ſtabiles ſibi ſedes illic acquiſiverunt.

§. 137. *Francorum* nomen, origo, priſtinae ſedes; ac vastisſimum poſtea illorum imperium, per totam fere Europam ſeſe extendens.

§. 138. Rationes, unde oriri tam vastum Imperium potuerit.

§. 139.

§. 139. Horrida totius fere Europae per illa tempora facies.

§. 140. Diviſio Regni Francici in *Auſtriam* et *Neuſtriam* ſive *Orientalem* et *Occidentalem*.

§. 141. Tres Regum Francorum Stirpes, *Merovingica*, *Carolingica*, et *Capetiana*.

§. 142. Succesſio in Regnum Francorum ſub prima ſtirpe *Merovingica*.

§. 143. Regum Francorum poteſtas et iura.

§. 144. Regum Francorum Dominia vastisſima.

§. 145. Ingens circa haec controverſia, quid nempe ratione *Dominiorum* in primaeva civitatis Francicae Conſtitutione obtinuerit.

§. 146. Triplex ea de re inter Doctos vertitur ſententia, quarum

1) haec est: omnia, quae bello capta fuère, cesſerunt Populo, et ingens Regibus portio ab illo ad aulae ſuſtentationem et onera regiminis ferenda est concesſa.

2) Reges, victores, ſibi vindicarunt omnia, eorumque in omnia bona et dominia ſumma fuit poteſtas, ius, et imperium.

3) Reges, quidquid est acquiſitum, illud et ſibi et populo acquiſiverunt; pars vero maior ex diviſione cesſit Regibus, reliqua populo; cuius populi hinc *alodia avita* et *bona* a tributis immunia.

§. 147. Prima ſententia *iura Populi*, ſecunda *iura Principis*; tertia, quae medium tenet, *utriusque iura* ſimul tuetur.

§. 148. Recenſentur *trium* harum ſententiarum patroni maxime inſignes.

§. 149. Ab hac quaeſtione, quae mere *hiſtorica* est, permulta pendent ad rectam *iuris publici* Francici et Germanici intelligentiam.

§. 150. Vocantur ea, de quibus quaeſtio est, bona, vulgo *Dominia*, ſeriore tempore *Domania*, Belg.

 Do-

Digitized by Google

Domeinen. Ea autem diſtinguuntur, in *iura* et *bona.*

Jura bifariam intelliguntur, quae vel *reditus certos* vel *incertos* continent.

Ad certos referuntur vulgo *vectigalia* cett.

Ad incertos omnia *iura utilia*, *mulctae*, *confiſcationes*, cett. quidquid ſub *iure fiſci* ex Stilo Roman. continetur.

Bona vocantur praedia illa immobilia, ex quibus reditus ſuos percipit Princeps; qui non modo ſunt *agri*, *vineae*, *prata*, *loca publica*, ſed etiam cuncta *loca deſerta*, *inculta*, *ſylvae*, *flumina*, *inſulae* cett. eorumque iura.

§. 151. Per primam ſententiam (§. 146. n. 1) haec *Dominia* olim fuerunt *in patrimonio populi*; eaque in prima conſtitutione civitatis a Populo aſſignata Principi, ut ſe ſuamque dignitatem ſustentet, et onera regiminis ferat, ex iisque publicae neceſſitati proſpiciat. Vnde ad diſtinctionem *bonorum*, quae Princeps iure privato poſſidet, vocantur *dos imperii*, *patrimonium regni*, vel a parte concedentis, *patrimonium populi*

§. 152. Ex hac 1ª. ſententia nonnulla profluunt corollaria:

1) Non licet Principi haec Dominia alienare vel quovis modo imminuere, invitis ſubditis.

2) Reditus tamen, ex his Dominiis percipiendi, ſunt bona Principis privata, de quibus libere diſponat.

3) Dominia, invito populo alienata, a ſucceſſore poſſunt revocari, nec ulla hinc ſit iniuria.

4) Dominia illa, quum ſint publica, non poſſunt, uſucapione vel praeſcriptione, ad privatos vel ſubditos transferri.

5) In regno ſucceſſorio ne conſenſu quidem populi poſſunt alienari, ex iure primo Imperanti quaeſito.

6) In *Apanagiis* vero, quum ad familiae ſuſtentationem deſtinentur, non prohibetur alienatio.

§. 153

Digitized by Google

§. 153. Haec ſententia, ex principiis *iuris publici univerſalis* et *primaeva* rerum publicarum *conſtitutione* deducta, optime procedit.

§. 154. Docetur diſcrimen inter *ius publicum univerſale* et *ius publicum particulare* ſingularum regionum vel cuiusvis Imperii.

*) Prius nos docet, qualis Reip. forma, notioni *imperii civici* congruenter conſtituta, eſſe debeat; alterum, qualis revera ſit fueritve.

**) Prius docet, quid factum oportuerit, alterum, quid factum revera ſit. cett.

§. 155. Longe igitur aliud eſt, videre, quomodo quid ex his principiis esſe debeat; et quid revera obtinuerit. Haec enim omnia in rerum *Francicarum* conſtitutione tam valide adverſantur omni fidei hiſtoricae et monumentis, ut non posſint magis; niſi eo devenias, ut in hisce eruendis *iuris publici univerſalis poſitiones* potius ſequendas, quam res *vere gestas*, *monumenta*, et ipſam *fidem hiſtoricam*, conſulenda cenſeas.

§. 156. Vt autem eiusmodi ſententia, in populis, imprimis *Francico*, eiusque *iure particulari*, et *hiſtorice* valeat, demonſtrari ante omnia debet:

1) Rempublicam Francicam ſive ipſum Populum Francicum hoc Dominium et horum praediorum, Regibus asſignatorum, uſumfructum, primitus revera habuisſe.

2) Rempublicam horum uſumfructum in Imperantem transtulisſe.

3) Horum tamen bonorum proprietatem ſibi retinuisſe.

*) Si enim Populus non retinuerit, ſed in Principem transferendo ſe abdicaverit, omnis controverſia in logomachiam incideret.

4) Si unquam locus hisce fuerit, asſignationis eiusmodi tempus, locus, modus, facile erui poterunt.

Digitized by Google

§. 157. Vti haec de Francis probari non poſſunt, et penitus falſa ſunt; ita aeque falſa ſunt huius ſententiae Corollaria (§. 152.) 1um. Coroll. *Alienare* haec bona Principi non licet. Verum tantum abest, ut de Francico, et de Regnis Europaeis ex Francico Imperio natis, haec doctrina fuerit cognita, ut contra Iuris Publici Doctores conſentiant, ne in tota quidem Germania reperiri ullam Legem Fundamentalem, qua *Dominia Principum praeſcriptibilia* habeantur; liberisque alienationibus pleni ſunt omnes libri, easque loquuntur omnia Monumenta.

§. 158. Probatur hoc asſertum ex *Francia et Germania*, per omnes Regum Stirpes, per omnia Secula.

§. 159. Immo tam munifici fuerunt variis de cauſſis Imperatores, Reges, Principes, ut omnia paene *Domania* ſua (*hunne Domeinen*) vel *donando* vel *alienando* vel *oppignorando*, vel aliis quibusvis rationibus in alios, praeſertim in *Nobiles* ac *ſubditos* ſuos erogarint, adeo ut postea Privilegiis *de non alienando* vel *oppignorando* caverint.

§. 160. 2um. Corollarium (§. 152. n. 2.). Totos Principum fuisſe *reditus*, dubio remotum est, et nemo negat.

§. 161. 3um. Corollarium (§. 153. n. 3.). Nulla hinc cuiquam fit iniuria, ſi Princeps ſuccedens dominia ſua alienata revocet! — Quae grata quidem Principum aulis est doctrina, ſed ſua ipſius abſurditate ſatis refellitur.

*) Cf. P. H. CHR. DE SELCHOW *Elem. iur. publ. Germ.* Goëtt. 1769. §. 416. *Secus ſentientium philoſophia aulis quibusdam grata illa quidem est, ſed valde metuo, ne Legibus nostris, Historiae, et publicae Fidei, cuius reverentisſimi debebant eſſe Principes, omnino adverſa eſſe videatur.*

§. 162. 4um. Corollar. (§. 153. n. 4.). Non poſſe *Domania* praeſcribi neque uſucapi, ex prioribus (§. 157.) penitus falſi convincitur. Cf. §. 183.

§. 163.

Digitized by Google

§. 163. 5um. (§. 153. n. 5.). Ne in regno quidem ſuccesſorio. At contraria docet omnis aevi hiſtoria.

§. 164. 6um. *Apanagia* tamen (§. 153. n. 6.) ex hisce Dominiis potuisſe conſtitui, nihil habet dubii.

*) Sed hoc ipſum est, quod vehementer huic ſententiae obſtat; nam *ſola Apanagia* Principum *Domania* ita exhauſerunt ſemper, ut permulti novi inde Principatus ſurrexerint; immo totum *Regnum* Francorum post CAROLI M. tempora in tot Regna et Respublicas ſeparatas disiunctum ſit.

§. 165. Concluſio. Haec ſententia Philoſophis et iuris publici univerſalis Doctoribus est relinquenda, nec *populi* nec *principum* iura tueri potest.

§. 166. Altera ſententia (§. 146. n. 2.) haec est: Rex Francorum in prima terrarum acquiſitione, quidquid occuparit, id ſibi tamquam Principi et ſummo Imperanti occupavit, ab eoque ſtatim terrae vel iure feudali vel ſub cenſu quodam populo ſecum bellanti fuerunt concesſae, manente penes Regem Dominio ſublimi et directo; ex quo haec omnia iuribus Regiis fuerunt ſubiecta.

§. 167. Ex hoc Syſtemate legitime tamquam totidem deducuntur conſectaria:

1°. Reges ab initio *Cenſum* ſive *tributum* quoddam a Francis expetivisſe.

2°. Quidquid auctoritatis potestatisque primarii Francorum Dynaſtae ac Domini posſident, eo per uſurpationem devenisſe.

3°. Omnem iurisdictionem manasſe a Regibus, et his vel esſe ereptam, vel acceptam referendam.

§. 168. Haec ſententia monumentis hiſtoricis itidem adverſatur. Longe alia et maxime quidem olim diverſa fuit *bellandi* ratio atque hodierna; non tamen illius ea vis esſe potuit, ut omnia ſibi ſoli occupasſe Princeps cenſeri posſit, quin ſaltem in communionem venisſent primarii eius administri, ante erectum feudale Systema.

 §. 169.

§. 169. At aeque falſa ſunt iſtius ſententiae corollaria:

1um. Coroll. quod ab initio *Cenſum* ſive *Tributum* a Francis ſuis Reges exegerint. Falſum hoc eſt. *Franci* enim, qua *Franci*, ab omni tributo fuere immunes; immo hinc ipſum *Francorum* nomen a multis repetitur (§§. 815. *ſq.*).

§. 170. Confundunt in hac quaeſtione *Tributa*, quae *Reges* ex *Domaniis* ſuis tamquam *domini proprietarii* acceperunt (§. 191. n. 5. et 817.), non vero ex privatis ſubditorum bonis, quippe qui et ipſi ex ſuis bonis *tributa* a colonis exigerent.

§. 171. 2um. Coroll. Quod primarii Francorum Dynastae per uſurpationem omnia acquiſiverint (§. 167. n. 2.). At docent monumenta, Francos iura ſuprema in ſuo quemque Alodio ſive *Dominio*, ab primis initiis ſine ulla controverſia exercuiſſe, et quidquid praeterea acquiſierint, hoc regiae munificentiae acceptum retuliſſe.

§. 172. 3um. Coroll. Quod omnis Iurisdictio a Rege manaverit (§. 167. n. 3.).

*) Hoc explicari ac distingui nunc facile poteſt.

§. 173. Concluſio. Neque haec ſententia, quae itidem egregios nacta eſt patronos, in *hiſtoria* habet, quo ſe tueatur.

§. 174. Tertia ſententia (§. 146. n. 3) ſtatuit, Reges Françorum, in prima Galliarum occupatione, terras acquiſitas inter ſe ſuosque diviſiſſe; quarum maior pars ac publica ceſſerit Principi, quippe cui omne ſuſtentandae aulae et gubernandae terrae onus incumbat (*Cap.* XV.), reliqua pars iſtius Territorii Francis, quorum quisque pro dignitate iuxta atque Princeps ſuam ſortitus eſt portionem, tamquam *bona propria* ab omni *tributi* onere immunia et cum omni iure Dominii.

§. 175.

Digitized by Google

§. 175. Haec ſententia, quae et *Principi* et *Populo* ſuum cuique tribuit, quaeque multa *iuris Publici Francici* et *Germanici* Capita circa primaeva *Principum* ac *Dynastarum* Dominia, a ſpiſſis, quibus obfuſcantur hactenus, nebulis liberat, ex priſtina terrarum inter *Principem* et *Populum* bellatorem diviſione ſive partitione deducta; commendatur, et ſtabilitur multis Argumentis, quae petuntur:

§. 176. 1) Ab conſuetudine veterum Germanorum in terris occupatis dividundis.

*) Quae conſuetudo pluribus probatur.

§. 177. 2) Ex analogia Conſtitutionis *Francos* inter et *Burgundiones* ac *Wiſigothos*, qui praedia Gallo-Romanis ademta inter ſe partiti ſunt ſub titulo *ſertium*.

§ 178. 3) Ex differentia peringenti in *Lege Salica*, inter *Gallo-Romanos* et *Francos* liberos ſive *ingenuos*.

§. 179. 4) A teſtimoniis Scriptorum.

§. 180. 5) A diverſa terrarum *Regis* et *Populi* post factam acquiſitionem denominatione.

§. 181. 6) A libera Principum poteſtate alienandi dominia, ſalva privatorum ſemper poſſeſſione.

§ 182. Ex hac ſententia prono amne fluunt ſua, eaque magni momenti, Conſectaria, cum a parte *Principis*, tum a parte *Populi*. Primo videamus ratione *Principis*.

§. 183. Probato (§§. 176—181.) *Reges* et *Populum* bellatorem terras vaſtas, recens acquiſitas, inter ſe diviſiſſe, Regesque, ſalva ſumma qua gaudebant poteſtate, ex hac diviſione ſua ſibi bona, praedia, terras (*Alodia* - ne haec dixeris, an *Patrimonia*, an *Domania*, an *bona Cameralia*, parum nunc refert) accepiſſe, in quae tamquam Domini ſupremi ſeu proprietarii, iuxta atque reliqui Franci, cuncta iura exercere poterant, ſequitur:

1) Reges ſua ipſorum *Dominia* et iura, aeque ac ſub-

ſubditos, ab initio et ſemper potuiſſe *alienare*, *dividere*, *imminuere*, cett. (§. 183*.)

2) Haec Regum *Dominia*, aeque ac ſubditorum, fuiſſe *praeſcriptioni* obnoxia. (§. 184.)

3) *Reditus* ex hiſce Dominiis itidem fuiſſe bona Principum, de quibus libere diſponat. (§. 185.)

4) Non requiſitum unquam fuiſſe Populi conſenſum, ut haec, quae ipſius non erant, Reges alienent, eave largiſſime aliis ob praeſtitam ſaepe opem vel alias ob cauſſas donent. (§. 186.)

5) Dominia Regum ſic alienata nunquam a ſucceſſore niſi per ſummam iniuriam potuiſſe revocari. (§. 187.)

6) *Apanagia*, *dotalicia* ac *vidualicia*, ſimiliaque, tamquam *uxorum*, *liberorum*, *familiaeque* ſuſtentacula, penitus fuiſſe libera; adeoque inter liberos *alienare*, *legare*, *donare*, *dividere*, potuiſſe ea, quae libeat, dominia, iura, iurisdictiones. (§. 188.)

*) Probantur haec per partes (§§. 183—188.)

§. 183*. 1um. Corollarium. Reges ſeu Principes (§. 183. n. 1.) Domania ſua (Belg. *Domeinen*) potuiſſe *alienare*, *dividere*, cett. probatur, et praeterea aliunde ſtabilitur. Adduntur tres Obſervationes in iure veteri Publico magni momenti:

1°. Longe alia olim fuit notio *fisci Regii* atque nunc eſt.

2°. *Res fisci regii* ſive *bona regiae proprietatis* fuere olim *terrae vastae*, *territoria immenſa*, *agri* imprimis *inculti*, cum *omni iure* his inhaerente, qui paullatim excoli coeperunt, immiſſis in illos colonis Domino ſuo obnoxiis.

3°. Ex his bonis immenſas poſtea *largitiones* ac *donationes* Reges Franciae et Germaniae per omnia ſecula fecere *Eccleſiis*, et *Viris primariis*, imprimis vero per *pacta familiae*; ita ut propter *Dominia* vehe-

vehementer ſic imminuta, a ſubditis ſaepe *Subſidia* expetere debuerint; unde *Petitionum* et *Tributorum* origo paullatim exorta est, non quidem vexandi vel opprimendi cauſſa, ſed ob defenſionem ſtatus ſui et Reipublicae (§§. 892. *ſqq.*)

§. 184. 2um. Coroll. Dominia Regum (§. 183. n. 2.) fuisſe *praeſcriptibilia*, probatur.

§. 185. 3um. Corollar. Domaniorum reditus (§. 183. n. 3.) ſolius fuisſe Principis, extra controverſiam est.

§. 186. 4um. Corollar. Non requiſitus unquam fuit Populi conſenſus (§. 183. n. 4.)

*) Probatur, ſimulque oſtenditur, quomodo et unde, paullatim *Imperatores*, *Reges*, *Duces*, *Comites*, aliique Principes hisce alienationibus ipſi obicem poſuerint vel poni conſenſerint.

§. 187. 5um. Coroll. (§. 183. n. 5.) Succesſores ſemel *alienata*, vel *vendita*, de iure revocare non potuisſe, ſua ſe commendat perſpicuitate et aequitate, niciturque praeterea fide hiſtorica.

*) Nunquam eo ſe extendit Principum potestas, ut ſemel data ex Domaniis revocare libere posſint, niſi in Despotismum ſive tyrannidem degenerent.

§. 188. 6um. Corollar., de *Apanagiis* (§. 183. n. 6.) nemo dubitat.

Haec de iure Principum!

§. 189. Ratione *Populi*. Postquam (§. 176-181.) probatum est, *Francos* in prima Terrarum acquiſitione et Civitatis conſtitutione ſuas etiam *ſortes*, ſuaque *Alodia* accepisſe, facile hinc ſequentia ducuntur Corollaria:

1°. Haec Francorum *Dominia* ſive Alodia, eodem modo, quo Regia, exemta fuisſe ac libera tributis Reipublicae ſolvendis, Regesque, qui ſatis divitem (§. 183. *ſq.*) ipſi habebant Fiscum, nihil hinc ex fundis alienis, tributi nomine, accepisſe.

 2°.

2°. Eosdem Francos praedia illa pleno iure et cum omni iurisdictione poſſediſſe.

3°. Liberos hosce Dominos, Francos, quorum Dominia, ſive Bona, (*des Seigneuries*) nihil pendebant, tamquam cives unius Domus eſſe conſideratos, et qua tales tantum *expeditiones militares*, *terraeque defenſionem* Regi ſuo debuiſſe.

190. Primum Corollarium (§. 189. n. 1.), Francos a *tributis* fuiſſe immunes, non intelligitur ab iis, qui mentionem *cenſus* et *tributi* in monumentis vetustis conciliare non poſſunt cum illa Francorum *immunitate* (§ 815. *ſqq*).

§. 191. Probatur illa Francorum Immunitas.

1) Ex origine horum *Alodiorum*, quae *terrae ſalicae* dictae.

2) Ex natura eorum.

3) Ex immenſis Regum divitiis, quae olim ad omnia ſufficiebant.

4) Ex ſervitio militari, cui omnes Franci, tamquam cives, ne eccleſiasticis quidem exceptis, erant adſtricti.

5) A vera indole et natura *Cenſus regii et tributi*, quod *Regi*, non qua *Regi*, ſed qua *Domino fundi* pendebatur.

*) Haec diſtinctio, in veteri iure publico, quantivis est momenti, eamque iam dedit Ill. MONTESQVIEV *Eſpr. des Loix* L. XXX. C. 12, 14, et 15. (Cf. §§. 817, 818.)

6) Ab expreſſis Legum Francorum verbis.

7) A *donis annuis*, quae ſola ad publicam ſuſtentationem Principis omnes *Franci* ingenui, nemine excepto, in eius aerarium conferebant.

*) Gallice, *des dons gratuits*.

§. 192. 2um. Coroll. (§. 189. n. 2.) Francos haec ſua Alodia cum omni Dominii iure, iuſtitia et iurisdictione territoriali poſſediſſe, iam aliis probatum est.

*) Vn-

Digitized by Google

*) Vnde generalis illa et fundamentalis in Francia et Germania regula obtinet: *omnis iuriſdictio origine ſua eſt alodialis ſive patrimonialis.*

§. 193. Inquiritur hinc in naturam *Iuſtitiae alodialis*, docendo 1) *Alodia primaeva* Dominis ſuis ſingulis eadem dediſſe iura, quae Reges in ſuis bonis ſeu *rebus ſiſci* habuerunt.

§. 194. 2) Patet inde, quae fuerint Munia et Officia *Vaſallorum*, *Ducum*, *Comitum*, qui in Regum Dominiis non proprie, ut *iudices*, ſed ut *miniſtri publici* (*La partie publique*) conſiderari debent, qui Regi aderant, et publico miniſterio functi, ubique ſaluti publicae in ſuo quisque territorio proſpiciebant.

§. 195. 3) Plurimi in Francia eiusmodi ſemper fuerunt Domini, cum *Eccleſiastici* tum *Seculares*, qui tales Iurisdictiones *alodiales* ſeu patrimoniales poſſederunt, et quorum in patrimonium nulli publico miniſtro ingredi licebat *ad cauſas audiendas* — —

§. 196. 4) Haec iurisdictio ipſis non competiit per *uſurpationem*, vel *uſucapionem*, ſed orta est ex primigenia terrarum diviſione.

§. 197. 5) Haec Iurisdictio alodialis et proprietaria iam dudum ante locum obtinuit, quam *feuda hereditaria* fuerunt cognita.

§. 198. 6) Ad huius Iurisdictionis iura ſive praerogativas recte referuntur ius Leges privatas ferendi, et iudiciariam poteſtatem in ſubditos exercendi, aliaque iura Maieſtatica.

§. 1 9. 7) Denique hac Iurisdictiones, vel Alodii Praerogativae (contra atque in iure Romano obtinuit), fuere *Patrimoniales*, *Hereditariae*, ac *Territorio* ſive praedio inhaerentes.

§. 200. 8) Poſtremo haec omnia hi Domini poſſederunt, ſalva ſuprema Regis poteſtate.

§. 201. 3um. Corollarium. Probatur, hos Francos

Digitized by Google

cos (§. 189. n. 3.) Regi tantummodo ad militiam et terrae defenſionem fuiſſe obligatos.

§. 202. Concluditur. Vastisſima quidem fuerunt *Regum* et *Imperatorum bona* et *iura*, (§. 183) ſed ea non a populo, niſi quatenus ex mutua diviſione, originem trahunt.

§. 203. Integram hanc *Regni Francici* compagem ſub Rege adminiſtrabant Regii Ministri, *Duces*, et *Comites* dicti.

§. 204. Horum publicum miniſterium prima aetate ad nutum Principis erat revocabile; ſed paullatim ad vitam extendebatur; deinde pedetentim in filios derivabatur; donec hoc tandem indolem boni hereditarii adeptum eſt.

§. 205. Conſiſtebat horum Miniſterium in eo, quod populos et provincias, regio nomine, adminiſtrarent, non ut *iudices*, ſed ut *publici miniſtri* (*la partie publique*), reditus ex Regiis Domaniis perciperent, militiam in Reipubl. auxilium educerent, et ipſi Regio iusſu expeditionibus praeesſent.

§. 206. Non poterant tamen Regis iniusſu *Leges* ſemel populis datas vel permisſas mutare, novas condere, neve tributa imponere.

§. 207. Habebant hi Miniſtri Regii ſub ſe minores Officiarios, qui *Vicecomites*, *Centenarii*, *Decani* dicti.

§. 208. Diſtinguebantur ſingulae Regiones, antequam Vrbes, ſeu Municipia, exorta ſunt, in *Pagos* (Gall. *des Païs* Helvet. *Cantons*); *Pagus* iterum in ſuas *centenas*, hae in *decurias*.

§. 209. Erat in unoquoque Territorio *Mallum* ſive *Tribunal* Iudicum, eique *minora* iterum *Tribunalia* ſuberant.

§. 210. Praeerat huic Tribunali *Dux* vel *Comes*, qui illic ad causſas ſedens audiendas causſam cogni-

tam,

Digitized by Google

tam, ſe praeſente, iudicibus iudicandam mandabat.

*) Sub 1ª. ſtirpe Francica dicebantur *Rachenburgi*; ſub 2ª. et 3ª. *Scabini*; qui iudicare tenebantur *ſecundum testimonium hominum* et *praeviam* Comitis *inquiſitionem*.

§. 211. Creabantur hi *Scabini* quotannis a *Rege*, vel a *Miſſis* ſeu *Legatis Regiis*, vulgo ex loci incolis, et ipſorum conſenſu.

*) Hoc enim libertatis erat Francorum, ut, a quibus iudicarentur, haberent ſemper cognitos.

§. 212. A minoribus *Tribunalibus* poterat provocari ad ſupremum Comitis Tribunal; ab hoc Tribunali iterum ad Miſſos, vel etiam ad ipſum Regem, qui vel privatus ius dicebat, vel coram Miniſtris in publico conventu cauſſam decernebat. Adeo ut ſemper recurſus ad Principem pateret, et *Iudices* ſuam defendere ſententiam ipſi tenerentur.

§. 213. Quo melius *Reges* tantam Imperii molem ſuſtentarent, habebant 1) *Miſſos* ſuos ſive *Legatos* extraordinarios, quorum erat inquirere in *Ducum*, *Comitum*, *Epiſcoporum*, reliquorumque Miniſterium.

§. 214. 2) Habebant *Placita* ſua annua, ſive Comitia, quo convocabant omnes Regni miniſtros, cuiuscumque dignitatis. Erant haec Placita *maiora* et *minora*.

§. 215. *Maiorum* varia erant nomina: *Placitum generale*, *generalis Populi Conventus*, *Campi Madii*. — —

§. 216. In his *Comitiis* tractabantur publica Regni negotia; cognoſcebatur de praeteritis, deliberabatur de futuris; ordinabantur praeſentia; promulgabantur *Leges*; condebantur *Capitularia*.

*) Diſcrimen inter *Leges* et *Capitularia*.
**) Regis in hisce partes; ac functiones Miniſtrorum et Procerum.

§. 217. In hisce Comitiis etiam *veteres Friſiorum Le-*

Leges, iuxta atque aliarum gentium, regia auctoritate ſunt exactae, emendatae, ſuppletae, confirmatae, promulgatae (§. 234. n. 6.)

§. 218. Admittebantur ad generales hosce Conventus etiam omnes *ingenui*, ſive *liberi* Franci.

§. 219. *Minora* Comitia, eorumque uſus. Ad ea convocabat Rex quosdam Epiſcopos, Duces, Comites, ut deliberarent iis de rebus, in quibus ipſorum conſilium deſiderabat.

C A P V T V I.

Belgii conditio ac ſtatus Politicus ſub Regibus Francis.

§. 220. Priſtinum totius *Belgii* ſive *Friſiae* regionis ingenium. — *Friſia* ſub Imp. CAROLO MAGNO Sec. IX. ſeſe extendit a *Wiſera* ſive *Viſurgi* usque ad *Sincſalam*; qui fluvius olim in ora *Flandriae* maritima.

*) Probatur hoc praeter alia ex Diplomate hactenus inedito.

§. 221. Horrida et inculta *Friſiae* per illa tempora facies. — Qui hodie tractus ſunt amoenisſimi, erant tunc loca, ſilvis, paludibusque aspera. invia; ubique novalia exciſa; neque alia terrarum illic conſtitutio atque in tota Europa, antequam mores exculti; urbes ac communita es inſtitutae; et maius hominum commercium, cett.

§. 222. Tentarunt occuparuntque Francorum Reges *Friſicas terras* Sec. VII, VIII.

*) Exſtincto a. 719. ultimo Friſiae Rege RADBODO victoriam conſummavit CAROLVS MARTELLVS, Maiordomus, Friſiam *tributariam* fecit, et fisco Regio adiunxit.

§. 223.

§. 223. Mitigavit hanc conditionem CAROLVS M., quantumque ex fictitio Diplomate conſtat, Friſios *a ſervitute proprietaria* abſolvit, liberosque eſſe iusſit.

*) Quinam hic *Friſii* intelligendi, et quae illa *libertas*? et ad quos extenſa?

§. 224. Varii mores ac politia in ſubiugandis populis per illam aetatem.

§. 225. Habuerunt hinc Reges Francorum in Friſia, quae hodie *Belgium*,

1) *Dominia ſua*, quorum varia nomina.

*) Vocantur in nostris istius aevi ſcriptis et monumentis *bona regia*, vel *regalia*. *bona fisci Regii*, *res regiae proprietatis*, *terrae*, *mancipia*, *provinciae*, *comitatus*. — — (§. 183*. n. 2.)

§. 226. De hisce *Dominiis Belgicis* Reges testamento caverunt; illa inter liberos diviſerunt; dotem filiabus collocarunt; in feudum dederunt; inter primarios Regni miniſtros, Epiſcopos, Duces, Comites, aliosque fideles, bene meritos, varias in partes distraxerunt; aliisque modis alienarunt; donec post elapſa ſecula nihil fere ex illis reliqui habuerunt, ſed omnia in primaevae Nobilitatis *Dynastas*, videlicet, *Episcopos*, *Duces*, *Comites*, aliosque huius generis *Nobiles* ſunt translata.

*) Videantur haec per partes.

§. 227. *a*) Reges de hisce Dominiis ac bonis *Belgicis* testamento caviſſe, eaque inter liberos diviſiſſe, probatur ex monumentis hiſtoricis atque authenticis.

§. 228. *b*) *Dotis* eos nomine vel ex toto vel ex parte, filiabus dediſſe, itidem probatur.

§. 229. *c*) In *feudum* haec dediſſe, primo precario, postea ad vitam, denique iure hereditario.

§. 230. *d*) Variis modis in alios bene meritos, ſive

ſive exteros ſive indigenas, haec beneficii inſtar contuliſſe, alienaſſe. —— ——

*) Exhibetur longa Tabularum ſeries, quae continent largisſimas Bonorum ac Regii Fiſci donationes, amplos extenſosque terrarum tractus ac latifundia, Epiſcopis, Comitibus, aliisque Regni miniſtris ex regiis Bonis conceſſa.

**) Probantur diſerte de ſeculis VIII, IX, et X.

§. 231. 2) Habuerunt Reges in *Belgio* Iura ſua utilia, ac reditus inſignes.

*) Quod probatur pluribus:

a) De *regio cenſu* atque *tributis* illis ex agris perceptis.

b) De *teloneis* ſive vectigalibus, quae *Dorestadi*, *Traiecti*, *Neomagi*, *Geervlietae*, *Mudae*, *Geinae*, ſolvebantur.

c) De *decimis regalibus.*

d) De *donis annuis*, ſeu petitionibus *annuis* ordinariis.

e) De *mulctis* ad partem *Regis* ex omni crimine ſolvendis.

f) De criminum *compoſitionibus.*

g) De *Bonorum publicationibus.*

§. 232. 3) Habebant Reges in Belgio *Duces* ſuos; ipſamque *Friſiam* in *Ducatus* formulam redegerunt.

*) Quod probatur per tria ſecula VIII, IX, X.

1. Ex diſertis Annalium verbis.
2. Ex Regni diviſionibus.
3. Ex ipſis Legibus Friſicis.
4. Ex Diplomatibus.

**) Recenſentur iſtorum temporum *Duces.*

§. 233. 4) Habebant Reges in *Belgio* ſuos ubique *Comites* ac *Marchiones.*

*) Exhibetur Catalogus *Comitum*, per omnem Belgii ambitum, per ſecul. octavum, nonum, decimum.

**) Recenſentur varii *Comitatus*, imprimis in illo Belgii tractu, ubi hodie est *Hollandia*; ut ſunt *Comitatus Maſaland*, *Kinheim*, *Texaliae*, *inter Lieram et Lekkam*, *inter Lekkam et Iſſelam*, *inter Rhenum et Suidhardeshage*, *Bodegrave.* ——

§. 234. 5) Dederunt Reges ſuas *Belgio* Leges.

*) *a*) Diſtinctio inter *Leges Friſonum privatas* ſive civiles, et Regni *publicas.*

b) Pu-

b) Publicae Regni Leges erant *Capitularia.*

c) Habebant populi, in his Friſii, Francis ſubiecti, praeter Leges Vniverſales ſeu Capitularia, Leges quisque ſuas peculiares et proprias, ſive *privatas.*

d) Dabant plerumque Reges populis devictis optionem, qua vivere privata Lege vellent.

e) Egregium Francorum RR. inſtitutum, ut in legibus ferendis vel emendandis vel confirmandis, ex devictis populis eos adſciſcerent *viros prudentes*, *ſapientesque*, qui populi ingenium et mores optime noſſent.

f) Friſiorum Leges vetustiſſimae in Comitiis Francorum a Carolo M. in literas redactae, confirmatae, et firmiter ſancitae. (§. 217.)

g) Dabatur tamen optio, an ex *Lege Salica*, *Ripuaria*, aliave quis vivere vellet.

h) Vſus Legis *Salicae*, *Ripuariae*, ipſorumque *Capitularium* his in terris multis probatur exemplis, ac Doctorum virorum conſenſu.

§. 235. 6) Habebant Reges in Belgio ſuos quoque *Miſſos* ſive *Legatos* anniverſarios. Ab his *Miſſis* ipſi Comites in ordinem redacti.

*) Probatur.

§. 236. 7) Res *Belgicae* in Francorum etiam Placitis generalibus ſive Regni Comitiis tractabantur.

*) Celebrata ſunt Regni Comitia, etiam *Neomagi*, *Traiecti*, alibique.

**) Habebant illic Reges *Palatia* ſua, ſeu *Villas Regias.*

***) Ipſi praeſentes adfuerunt *Flardingae*, *Dordrechti*, *Rhenae*, alibique.

****) Obierunt nonnulli his in terris.

C A P V T V I I.

Belgii conditio et Status Politicus ſub Imperatoribus Germanis.

§. 237. Vt totius *Belgii*, hodie *Federati*, ſtatum

tum cognoſcas; cognoſci ante omnia debet disſidium et ſeiunctio Franciae *Occidentalis* et *Orientalis*, ſive ſeparatio *Regni Francici* et *Imperii Germanici* ſeculo X. facta; et Regni *Lotharii*, poſtea dicti *Lotharingici*, inter utrosque controverſi, extenſio et limites.

§. 238. Sub *Lotharingia* magna pars *Friſiae* olim comprehenſa. In diverſas *Friſia* diſtracta partes per varias Regnorum diviſiones.

§. 239. Variae hae partes fluviis *Scalde*, *Moſa*, *Rheno*, *Flevo*, olim terminatae.

§. 240. Franci Orientales ac Germani ineunte Sec. X. proprium ſibi Regem eligunt; et atrox inter *Francos* et *Germanos* odium et bellum.

§. 241. *Lotharingia*, cum eaque maior *Belgii* pars, iuris facta Germanici, ex Regno fit *Ducatus*.

*) Huius *amplitudo*, *opes*, et *Duces*.

§. 242. Regno *Lotharingico*, adeoque Regno *Germanico*, inde a Sec. X. accenſitum fuit *Belgium*, ſive *Friſia* late ſumta.

*) Probatur 1) ex diſertis Annalium Verbis.

2) Ex turbis inter illorum Reges ac Duces, et rebus illic terrarum geſtis.

3) Ex Imperatorum his in terris Actis et donationibus.

§. 243. Extenſisſima hinc Regum Germaniae per totum *Belgium* Dominia (§. 225. 237. ſqq.)

§. 244. 1) Ex his Dominiis large alios bene de ſe meritos proſecuti ſunt, multaque dederunt, cum iure *beneſiciario* ſive *feudali*, tum imprimis *iure proprio*.

*) Probantur hae Donationes ex plurimis Chartis Authenticis ac regiis Diplomatibus; idque per quatuor Secula X, XI, XII, XIII., nominatim:

De

Digitized by Google

De Terra Teiſterbantia,
——— Taxandria,
——— Zeelandica,
——— hodierna Hollandia, ſpeciatim, de terris inter *Moſam* et *Merwedam*; inter *Merwedam* et *Lekkam*, inter *Lekkam et Iſalam*, inter *Iſalam* et *Rhenum*; quae hodie *Zuidhollandia*, *Delflandia*, *Schielandia*, *Rynlandia*. Necnon *de Kennemaria*, *Weſtfriſia*, *Amſtellandia*.
——— de ditione Traiectenſi,
——— de Trentia,
——— Twentia,
——— Sallandia,
——— Friſia transflevana,
——— Agro Groningano,
——— Batua, cet.

§. 245. Cum bonis conceſſis atque Dominiis ſimul donaverunt illorum bonorum ſic dictas *Appendicias*.

*) Quae illae fuerint, indicatur.

§. 246. 2) Donaverunt Reges Germ. in *Belgio* ſimul *Iura* ſic dicta *Regalia*.

*) Quid *bannus Regius* ſ. Imperatoris.

§. 247. 3) Dederunt in *Belgio Iura fisci*.

*) Horum varia iſtius aevi *nomina* et *genera*.

§. 248. 4) Dederunt bona illa, cum omni *iurisdictione*, liberaque ſive exemta ab omni aliena iurisdictione. (§. 674.)

*) Variae formulae, quibus haec iurisdictionis *exemtio*, et in novos Dominos translatio, indicabatur.

§. 249. 5) Dederunt haec *libere* et *quiete*, cum *omni proprietate et dominio*.

*) Differentia formulae *in proprium donare* vel *habere*, et *in beneficium concedere* vel *habere*; aliaeque id genus formulae.

§. 250. Ex his legitima deducuntur Corollaria.

 Pri-

Primum Corollarium! Habuerunt Reges Germaniae omnino in *Belgio* vastisſima ſua *Domania*.

§. 251. II[um]. Corollarium ! Habuerunt ibidem omnia *iura Regalia* cum illis Dominiis connexa.

§. 252. III[um] Corollar. Habuerunt *iura fiſci*, ſive illos reditus, qui hodie *fiſco* attribuuntur.

§. 253. IV[um]. Coroll Habuerunt in his omnem poteſtatem cum *Legislatoriam* tum *Iudiciariam*, aliaque iura, eaque ſimul cum illis territoriis praediisque extenſis vel alienarunt vel in feudum concesſerunt.

§. 254. V[um]. Corollarium. Inſignes tot largitiones in *Epiſcopos*, *Duces*, *Comites*, aliosque huiusmodi *Nobiles Dynaſtas* collatae, paullatim effecerunt, ut *vicaria* et adminiſtratoria horum Nobilium poteſtas in *propriam* abierit.

§. 255. VI[um]. Corollarium. Omnes hae donationes ſemper factae ſunt *ſalvo Imperio*, vel *ſalvo iure ſummi Imperii.* Quod ius donando nunquam exſtinctum est.

*) Quid ſibi velint formulae in ipſis *Principum Belgarum* paullatim exortorum Chartis per multa ſecula occurrentes,
Excepto vel *ſalvo Imperio.* ———
Excepto Imperio, ſicut ius ſuum est erga Imperium. —
Salvo homagio pro iis debito.

§. 256. VII[um]. Corollarium. Reges et Imperatores Germaniae manſerunt ſemper *ſummi Imperantes*, ratione territorii Belgici; *Domini* vero *directi* ratione Feudorum.

*) Vt *ſummi Imperantes* usque ad ſec. XVI in Belgicis regionibus ſemper agniti ſunt, cum a Principibus tum a Subditis.

**) Vt *Domini directi* ſemper *Epiſcopos*, *Duces*, et *Comites*, investiverunt.

***) Probantur haec pluribus de *Traiectinis*, de *Gelris*, de *Hollandis Zeelandisque*, nec non de *Friſiis*.

§. 257. Indicantur rationes, cur hi primarii ſuperio-

rio-

Digitized by Google

rioris gradus Nobiles tanta ab Regibus Germ. et Imperio munificentia ſint affecti.

§. 258. Accrevit hinc perpetuo *Nobilium* Principum his in terris auctoritas ac poteſtas, ſalva tamen ſumma Imperii potentia (§. 256.)

*) Dicti hi ſunt *Principes Imperii*, et ſemper in Comitiis Imperii publicis adfuerunt; Imperatorum *electioni*, *unctioni*, *coronationi*, et omnibus publicis Imperii deliberationibus interfuerunt; et ex his creati ſunt *Imperii vicarii*; immo *Reges*.

§. 259. Quo magis amplitudo, potentia, et opes *Regum Germaniae* in Belgio decreverunt, eo magis crevit horum Principum auctoritas et poteſtas; donec tandem per turbas in Imperio coortas, imprimis ſeculo XII. et XIII. omne ius illud et dominium, quod alioquin Imperatoris et Imperii erat, ad ſe traxerunt. Vnde exorta paullatim Belgarum Principum *Superioritas Territorialis*.

CAPVT VIII.

De Superioritate Territoriali Principum Belgarum in genere.

§. 260. Non alia Principibus Belgis (nempe *Epiſcopis* Traiectinis, *Ducibus* Gelriae, et *Comitibus* Hollandiae) tribuitur *Superioritas Territorialis*, quam quae *Statibus Imperii* Germanici competit, et notisſima iuris publici Germanici dotrina eſt.

§. 261. Quid in genere *Superioritas Territorialis*, et qui de illa eiusque origine ſcripſerint?

§. 262. Variae cauſſae *Officii* Ducum ac Comitum in *Terrae Dominium* mutati. (§. 254.)

Digitized by Google

§. 263. *Duces* et *Comites* olim *vicario* tantum *nomine* terris praeerant, ſed iidem plerumque tamquam primarii *terrae Dynaſtae* bona posſidebant alodialia ſive posſesſiones avitas.

§. 264. Accesſerunt his ex regia munificentia *Dominia* inſigniora, cum *iure proprio*, tum *iure feudali* posſidenda, quae vulgo eximebantur ab omni *aliena* iurisdictione (§. 244-249.)

§. 265. Post introductam in rebus etiam *feudalibus* ſuccesſionem *hereditariam*, hi magis magisque ſeſe Regibus, quibus omnia debebant, ſubtraxerunt, et ea ſibi iura maieſtatica vindicarunt, quae ſolius erant *Imperatoris*.

§. 266. Variae *causſae* et *tituli*, quibus hoc fecerunt Principes Belgae, iuxta atque reliqui Imperii *Germanici Principes*.

*) Si quid a *Comitibus* Hollandiae, *Ducibus* Gelriae, *Episcopis* Traiectinis, uſurpatum eſt, non hoc ſibi uſurparunt in fraudem *Subditorum*, quos et ipſi postea largiter donarunt, (§. 505. ſqq.) ſed in fraudem *Imperii*.

§. 267. Quo vero tempore haec *Superioritas Territorialis* nostris in terris proprie coeperit, determinatu haud ita facile; immo longe apud nos difficilius quam apud alios.

*) Huius difficultatis apud nos ſunt variae rationes.

§. 268. Prima ratio! Non ubique idem fuit modus, non eadem origo, neque iidem ſummae huius Potentiae progresſus apud *Gelros*, *Traiectinos*, *Hollandos*; neque eadem et omnia ſimul *iura* exorta, eadem *nomina* et *formulae* datae. Quippe quae omnia alluvionis inſtar ſenſim creverunt, reclamante et ſua iura ſaepe vindicante Imperio. (§. 277. ſq. cf. 259.)

§. 269. Secunda ratio! Pleraque vocabula, quibus *Superioritas Territ.* effertur, recentioris ſunt aetatis; et vocibus ſaepe varie luditur.

*) *Ius*

Digitized by Google

*) *Ius omne*, *omnis iuſtitia*, *omne dominium*, *ſuprema poteſtas*, *Superioritas* (*Souvereiniteit*) non ſemper notant, quae prima fronte notare videntur; ex *cauſa* et *titulo* cognoſci haec debent.

§. 270. Tertia ratio! Etſi res nota quidem fuit, et eo iam coepit tempore, quo Principes *iure hereditario* et *patrimoniali* ſua Territoria posſederunt: ante ducentos tamen annos haec ipſa materia paucisſimis ſcriptoribus fuit cognita, neque tractari ſyſtematice ante Sec. XVII. coepit.

*) Quid mirum igitur, ſi Belgis haec materia, immo quibusdam ipſum nomen *Superioritatis Territorialis*, penitus incognitum manſit, ſiquidem apud Noſtrates de iure noſtro publico ſub Comitibus Hollandiae nihil hactenus Syſtematice ſcriptum reperiatur; in deſcribendis turbis civilibus per illa tempora coörtis unice fere occupatos.

**) Primus, equidem quod ſciam, hoc *Superioritatis Territorialis* nomen et argumentum in Belgio produxit Vir Clar. P. BONDAM Gelriae Hiſtoriographus celeberr. et Acad. Traiect. decus.

§. 271. Quarta ratio. Partium ſtudium, inter turbas civiles, et aeſtum ſcribendi, maxime flagrans.

§. 272. Quincta ratio. Adulandi ardor.

§. 273. Sexta ratio. Praeiudicium auctoritatis, et caeca Scriptoribus nonnullis habita reverentia.

§. 274. Indicantur, qui hoc ſeculo genuinum ſenſum *Iurisdictionis Patrimonialis* ſive *alodialis* exhibuerunt; et quid ex prima *Conſtitutione Regni Francici*, tum ex indole *Libertatis Germanicae*, Nobilibus hisce primariis, ab omni aevo competierit (§. 193 *ſqq.*)

§. 275. Principes GELRIAE origine ſua fuere *Nobiles Dynaſtae*, ſive Domini, Germanico Imperio immediate ſubiecti, *alodia* ſua atque *dominia* iure proprio posſidentes (§. 676.)

§. 276. Acceſſit his *Comitis* poſtea dignitas Sec. XI. Denique Seculo XIV. ab Imperio ad *Ducatus* gradum evecti ſunt.

Digitized by Google

§. 277. Quo magis hi Principes iura ſummo Imperanti et Imperio reſervata exercere, et cuncta proprio nomine agere coeperunt, eo propius ad *Superioritatem Territorialem* ſeu *ſummam poteſtatem* Maiestati analogam devenerunt.

§. 278. Saepe tamen, etiam nunc Seculo XIII. et XIV. ab Imperio repreſſi ſunt.

*) E. g. Eo nempe tempore, quo inconſulto Imperatore Vrbes condere, easque Privilegiis inſtruere aggrediebantur. Quod probatur exemplis, etiam Seculi XIV.

§. 279. Poſtea tamen haec omnia *Ducum* Gelrorum iura Imperatores agnoverunt, rata habuerunt, et de iis hos inveſtiverunt.

§. 280. Translatum denique omne illorum Dominium in CAROLVM V. Imp.

§. 281. *Principes* HOLLANDIAE, per immenſa, quae ab Imperio variis Diplomatibus acceperunt, *bona alodialia*, origine ſua itidem ſuere *Nobiles Dynaſtae*, variasque Dynaſtias Imperio immediate ſubiectas posſederunt, quae paullatim in unum quaſi corpus coaluerunt.

*) Hoc tam manifeſtum eſt, ut etiam ii, qui vel maxime ab his rationibus disſentiant, et avitam quandam *libertatem Batavorum* crepant, totam quam late patet *Hollandiam* Comitibus Hollandiae iure proprio ab Imperio fuisſe conceſſam, olim exiſtimaverint.

§. 282. Hodiernus *Hollandiae* tractus olim ex variis terrae tractibus coaluit.

*) Oſtenditur per partes.

§. 283. Quam immenſa in his tractibus Dominia hi Dynaſtae ſive Domini Hollandiae posſederint, docetur. (§. 771. ſqq.)

*) E. g. iam ſeculo XI. ex ſuis bonis plus quam 14000. terrae iugera cum vario iure ac iuriſdictione uni tantum Coenobio in proprium donarant, ex quibus deinde liberae

ſub

ſub his Dynaſtiae (*vrye of hooge Heerlykheden*) aliaque Dominia enata ſunt.

§. 284. Praeter haec bona hi Principes, vicario et adminiſtratorio nomine, alicui harum terrarum particulae, ſub *Comitis Freſonum* vel *Freſoniae* titulo, praeërant.

§. 285. Accesſit his ſec. XI. *Zuidhollandiae tractus*, vi armorum Traiectinis aliisque in vicinia Epiſcopis ademtus, et ab Imperio approbatus.

*) Vnde nomen *Holtland*, poſtea *Holland*, et *Hollandiae Comitatus*?

§. 286. Ex his illi Dynastae proprio nomine, citius etiam quam *Comites Gelriae*, multa peragere; bella gerere, oppida condere, aliaque *Superioritatis Territorialis* iura exercere coeperunt.

§. 287. Represſi quidem ſaepe in his ſunt ab Imperatoribus, ſed flagrantibus Imperii turbis, imprimis postquam ſec XIII. WILHELMVS II. *Comes Holl.* ipſe *Rex* creatus est, hac *Superior. Territor.* pleno iure exercuerunt, ſalvo tamen ſemper iure et Homagio Imperio debito.

§. 288. Praeter Hollandiam iidem ZEELANDIAE quoque *Dominium* vario tempore et modo obtinuerunt.

*) Statum Zeelandiae politicum ſub hoc tempus pluribus deſcriptum dedi in *Hiſtor. Crit. Com. Holl. T.* I. *P.* II. *Excurs.* VII.

§. 289. EPISCOPVS *Traiectinus* antiquisſimus et ditisſimus omnium Belgarum princeps.

§. 290. In ſupremo eius *Dominio* ſemper diſtingui debet duplex *Epiſcopi* perſona, *Eccleſiastica* nempe et *Secularis* ſive *temporalis*; et duplex hinc Epiſcoporum investitura.

*) Variae diſtinctiones, ratione *muneris*, *territorii*, *ſubiectionis*, *iurium* cett.

**) Errores ex neglectis his diſtinctionibus exorti.

Digitized by Google

§. 291. Epiſcopi, uti omnes, ſic etiam Traiectenſes olim ab Imperatore non niſi ex primaria illa Nobilitate creati, unde *Reges*, *Duces*, *Comites* coorti.

§. 292. Origo Sedis Epiſcopalis Traiectinae, et bona temporalia huic data a Regibus Francis, ab erecta iam a°. 696. ſede usque ad ſec. X. quae regali munificentia per omnes Belgii tractus diſperſa iacuerunt.

§. 293. OTTO M. Imperator, prae aliis in *Epiſcopos* liberalis, ſec. X. integras *terras*, *provincias*, *regiones*, *comitatus*, et *iura regalia*, ex ſuis Dominiis in *Epiſcopum Traiectenſem* contulit, eaque ab omni *aliena* poteſtate et ſeculari iudicio exemit; unde primaria increſcentis eius *potentiae* et *Superioritatis Territorialis* fundamenta.

§. 294. Epiſcopi, nemini niſi Imperio obnoxii, omnes ditiones ac terras adminiſtrare ſoli non poterant, neque, qua Epiſcopis, licebat. Hinc olim utebantur *Advocatis* laicis; deinde *Marſcalcis*.

§. 295. Advocatorum optio priſtino aevo penes ipſos erat Imperatores ac Reges; poſtea ex mandato Regio, deinde ex Privilegio, ipſi hoſce Advocatos elegerunt.

*) Vera horum Advocatorum indoles, officium, dignitas, uſurpatio, ceſſatio.

§. 296. Horum Dominium per *Dioeceſim inferiorem* ac *ſuperiorem*, *Drentiam*, *Tuentiam*, et *agrum Groninganum* ſe extendit, et qui illic olim munere functi, hoc functi ſunt nomine et vice Epiſcopi (§§. 351. *ſqq.*)

§. 297. Separatis poſthac his regionibus, per interna diſſidia et bella externa translatum tandem eſt *Dominium Temporale* Dioeceſis TRAIECTINAE, necnon TRANSISALANIAE, in Imper. Carolum V.

*) Quae huius translationis indoles et vis.

§. 298.

Digitized by Google

§. 298. FRISIAE, Flevum inter et Lavicam, ſub Imperio ſtatus politicus usque ad ſecul. XII. Status eius *Democraticus* ſec. XIII-XV. Translatum eius Dominium in Principes, 1°. Saxones, 2°. Auſtriacos.

*) Quae translati Dominii vis.

§. 299. Ditio denique GRONINGANA, et *agri circarii*, post multas vicisſitudines etiam translati in Principem Carolum V.

§. 300. CAROLVS V. hinc *Princeps* ac *Dominus* univerſi Belgii.

§. 301. Coniunctio Dominii *Traiectenſis* cum *Hollandia* ſub uno Gubernatore.

*) Quomodo intelligenda CAROLI V. promisſio, *van Vtrecht niet te ſeparéren van zyne patrimoniele Landen van Brabant en Holland.*

§ 302. Generalis denique VII. Terrarum coniunctio et conſociatio ſub CAR. V. ſaepe quidem tentata est, ſed incasſum cecidit.

§. 303. Secuta tamen est coniunctio XVII. *Provinciarum Patrimonialium*, ſub titulo *circuli Burgundici*, qui tantum *Imperio* ſolveret quantum duo ſolvere Electores ſolent; cetera ab omni Imperii iurisdictione immunes; ſalvo *Homagio* et *Protectione.*

§. 304. Vniverſus terrarum Patrimonialium complexus, et diſtinctio inter terras *veteres Patrimoniales* et *recens acquiſitas.*

*) Quae ex VII. federatis ad veteres, quaenam ad recens acquiſitas ſpectarunt?

§. 305. *Hereditariae* illae ac *Patrimoniales terrae* an idem quod *Regnum Patrimoniale?*

§. 306. Regnum ex illis conſtituere, recuſavit PHILIPPVS *Burgundus;* regium honorem vehementer appetivit filius CAROLVS *Pugnax;* rem intactam reliquit eius pronepos CAROLVS V. Imp.

§. 307.

Digitized by Google

§. 307. Dari *Regna Patrimonialia*, eſt ſententia Ill. H. GROTII, PUFFENDORFII, HERTII, CONRINGII, cett.

§. 308. Dari illa negat Vir Ill. HENR. DE COCCEII, eiusque ſequaces.

§. 309. Contra parentem ſuum iterum inſurrexit filius SAM. DE COCCEII.

§. 310. Dantur omnino, non tamen ea, qualia ſibi monſtroſa finxit Vir Ill.

*) Egregius verborum luſus oſtenditur in vocibus *Rex*, *Regnum*, *patrimonium*, cett.

§. 311. Quid per *Regnum Patrimoniale* intelligendum?

§. 312. Non confundenda eſt *ſumma Maieſtas* et *arbitraria Poteſtas*, cuiusmodi nunquam fuit apud eos, qui *Superioritate Territoriali* ſub Imperio Rom. Germ. gaviſi ſunt.

§. 313. Singula iura, generatim ſpectata, quae conſtituunt *Superioritatem Territorialem*, vocantur *Regalia*.

*) Horum olim diſtinctio in *maiora* et *minora*.
**) Aliae diſtinctiones oportuniores.

§. 314. Diſtinguuntur in *Eſſentialia* et *Accidentalia*.

*) Quaenam haec et illa?
**) Primarius mihi Scopus, ea duntaxat explicare *Regalia Eſſentialia*, quae ad rectam *Super. Territor. Principum Belgarum* intelligentiam quam maxime facere videntur.

§. 315. Concluſio, et obſervanda Cautio in legendis Scriptoribus Belgicis.

CA-

Digitized by Google

C A P V T IX.

De Superioritate Territoriali, ſpeciatim de Poteſtate Legislatoria, Principum Belgarum.

§. 316. I*uſtitia* est fons, baſis, ac fundamentum omnis Imperii. Iusti iniustique regula *Lex* est.

*) Prudens Francorum inſtitutum, ut populis devictis *antiqua Lege* vivendi optio daretur; etiam Friſiis. (§. 234. n. *d.* et *e.*)

§. 317. *Legislatoria Poteſtas* penes *Comites* ac *Principes* Belgas olim fuit nulla; nec poterat eſſe; quamdiu hi *Miniſtri* tantummodo Regis. (§. 262. ſq.)

§. 318. Vivebant iudicabantque populos privatis in rebus ex ſuis ipſorum Moribus et Legibus.

*) Superſunt Leges *Francorum*, *Burgundionum*, *Langobardorum*, *Saxonum*, etiam *Friſiorum*, quae valebant per integrum *Belgium* maritimum.

§. 319. In reliquis habebant *Capitularia Regum Francorum* (§. 234.)

§. 320. Ab horum iudicio iniuste vel contra Leges lato provocatio erat ad *Miſſos*, immo ad ipſum *Regem*. (§. 212.)

§. 321. Paullatim haec *Capitularia*, etiam in *Belgio*, in deſuetudinem abierunt, idque variis de cauſſis.

*) Ne in ipſa quidem Francia ulla Lex nova ante PHILIPPI I. Reg. Fr. tempora Sec. XII. pr. exſtat.

§. 322. In his primaria cauſſa creſcens *Dominorum* poteſtas et auctoritas, qui iure Dominii *Legum* defectum ſuppleverunt.

§. 323.

Digitized by Google

§. 323. Ab Seculo XIII. *Legislatoriam poteſtatem* exercere omnes Imperii Principes coeperunt.

§. 324. Neque ante Seculum XII. med. et Sec. XIII. ulla apud *Flandros*, *Brabantos*, *Hollandos*, aliosque nova Lex exſtat promulgata.

§. 325. Prima *Legum ferendarum* poteſtas ſeſe exſeruit 1) in Statutis Municipalibus.

*) Rei ratio.

§. 326. Vrbes, ex ſinu Comitum ac Principum, et ex propriis eorum bonis exſtructae et fundatae, *Legibus* et *Statutis* inſtruebantur.

§. 327. Probatur de Comitibus *Hollandiae*, de Principibus *Gelriae*, et de Epiſcopis *Traiectinis*, per omnia Secula.

§. 328. 2) Dederunt *Leges* ac *Statuta* integris agris, et terrae tractibus, vulgo *Landrechten.*

*) Probatur de Principibus *Hollandiae*, a quibus Statuta et Leges praeſcriptae in *Kennemerlandia*, *Weſtfriſia*, *Zuidhollandia*, *Noordhollandia*, *Zeelandia*.
——— de Epiſcopis *Traiectenſibus*.
——— de Comitibus ac Ducibus *Gelriae*.

§. 329. 3) Praeſcripſerunt *Leges Agrarias* et *Aggerarias*, vulgo *Dykrechten*, etc.

*) Per ſingula eundo res manifeſta eſt in de *Dykrechten tuſſchen Lek en Merwe* MIERIS *Charterb.* D. I. bl. 403. *Tieſſelinswaard*; *Grootewaard van Zuidholland*, *Schieland*, *Delfland*, *Rynland*, *Noordbeveland*, *Zuidbeveland* cett.
Idem probatur in *Gelria*, et in *Dioeceſi Traiectina*.

§. 330. 4) Dederunt *Leges venaticas* et *foreſtales*.

*) Probatur per omnia ſecula.

§. 331. 5) Conſtituerunt *Leges Feudales* ſpeciales;

les; imprimis tamquam Domini bonorum directi ſuccedendi normam ordinarunt.

§. 332. 6) Promulgarunt *Mandata et Edicta* ac *terrae Leges* generales, eaque *Balivis* ſuis aliisque *Iudicibus*, cum *maioribus* tum *minoribus*, ac *Curiis* ſuis, obſervanda iniunxere. (§. 357. 368. 382. *ſqq.*)

§. 333. Post erectas etiam, amplificatis Regionum negotiis, *Curias*, Leges illas vel iudicandi Formulas, quas terris ſuis utiles esſe iudicabant, has ſequi iusſerunt, *Conſiliariisque* ſuis normam iudicandi praeſcripſerunt (§. 415. *ſqq.*)

*) Probantur omnia ex ipſis Monumentis authenticis a primis inde ſeculis.

§. 334. Qui *Legislatoria* gaudet *potestate*, *Leges* etiam atque *Edicta promulgandi* habet facultatem.

*) Probatur ex iisdem.

§. 335. Habet idem poteſtatem ac ius *abrogandi* vel *relaxandi*.

*) Hoc ius itidem exercuisſe, docetur.

§. 336. Habet ius *confirmandi*.

*) Exemplorum Confirmationis *Legum Statutorumque* ingens est copia.

§. 337. *Ius Interpretandi* vel *novum ius condendi*.

*) Multae ſunt huius generis probationes.

§. 338. Alienas Leges promulgandi prohibitionem vel confirmationem.

*) Sic Comites Holl. aliique bullas *Papales* et edicta *Imperatorum*, niſi a ſe probata, vel confirmata, promulgari vetuerunt. Promuntur exempla.

§. 339. Aliis, nominatim urbibus, concesſerunt facultatem condendi *Statuta urbica* ſive *municipalia*; eademque ampliarunt, renovarunt, revocarunt, --

*) Afferuntur probationes.

§. 340.

§. 340. Imprimis locorum *Conſuetudines* (vulgo *Costumen*), in ſcriptum redactas examinarunt, explicarunt, confirmarunt; vel aboleverunt, ubi *corruptelas*, non *veras* ac *bonas* vel *laudabiles*, eſse *conſuetudines* animadverterent.

§. 341. Legibus ſuis clauſulas *condemnatorias*, *indignatorias*, *comminatorias*, *derogatorias*. *poenales*, *arbitrarias*, adiecerunt.

*) Exempla ex omni aevo depromuntur.

§. 342. Formulas etiam adhibuerunt maiestaticas, *volumus et iubemus; nam ita nobis placet.* —

*) Eiusmodi formulas non ſeculo demum XV°. ſub Principibus *Burgundis* in Hollandia enatas, ſed duobus iam ante ſeculis fuiſse cognitas, probatur ex monumentis omni exceptione maioribus.

§. 343. Condiderunt *Leges* vel *ſoli*, vel cum *intimo*, quod ab initio habuerunt (§. 417.) *Conſilio* (*Conſeil privé*), vel, quod prudentes Principes decet, adhibito ſaepe eorum conſilio, quorum vel maxime intererat, ſive hi *Nobiles* esſent ſive *Vrbes*, ſive privati, ſive artificum corpora, cett.

§. 344. Eamdem facultatem *Legislatoriam* postea exercuerunt per *Gubernatores ſuos* ac *Conſiliarios* ſeu *Curiam*, cui regiminis curam demandabant.

*) Hinc ſaepe dicti *onzen Rade*, *dien wy onzen Lande bevolen hebben te regeren* (§. 415.)

§. 345. Non tamen hoc impediit, quominus ad eos ipſos *Conſiliarios*, *Gubernatores*, *Curiasque* mandata mitterent, Legesque publicari iuberent.

*) Probatur ex fide publica Chartarum et Edictorum.

§. 346. Probantur eadem omnia, ſpeciatim de *Epiſcopis* Traiectinis, et de *Comitibus* ac *Ducibus* Gelriae; nec non de reliquis Terris post translatum illarum in Carolum V. Dominium.

§. 347.

Digitized by Google

§. 347. Solvitur obiectio, quaſi Principum *Hollandiae* Leges primo tempore non valuisſent, niſi *Populus* conſenſu ſuo illas comprobasſet.

*) Deſumta est iſta obiectio ex MIERIS *Charterb. der Graven van Holl.* D. II. bl. 48. At contrarium eius rei inde manifeste probatur; et ipſa res gesta explicatur (Cf. §. 862.)

§. 348. Concluſio, et adhibenda cautio in legendis Scriptoribus, imprimis Hollandicis, qui hanc *Legum ferendarum* potestatem Principibus ſeu *Terrae Dominis* denegant.

CAPVT X.

De origine Magiſtratuum in Belgio, et de iure Principum circa eos.

§. 349. Summus Imperans innumeris civium negotiis ſolus non ſufficit, nec ubivis ſimul omnia expedire potest. Opus igitur eſt illi *miniſtris* et *magiſtratibus*.

§. 350. Quantaquanta est Magiſtratuum iurisdictio, dignitas, aut potestas, ea a ſummo Imperante dependet, eique ſubiecta est.

*) Hoc adeo verum, ut ius extremae Provocationis nunquam posſit a Maiestate, qualiscumque ſit illa, avelli.

§. 351. Quamdiu *Duces* et *Comites* non niſi *publici* Imperii erant *Ministri*, hi non alio niſi *adminiſtratorio* et *vicario* munere functi ſunt, et quos *Ministros Iudicesque* ſub ſeſe habebant, hi ipſi a *Principe* vel eius *Misſis* creabantur. (§. 203. ſqq.)

§. 352. Postquam vero Principes *Superioritatem Territorialem* ipſi nacti ſunt; hi vices Imperatoris

in omnibus fere ſuſtinuerunt, vel ſuſceperunt, ſalva ſemper erga *Imperium* obligatione.

§. 353. 1) Habuere Principes huius vigore facultatem omnis generis *Gubernatores*. *Officiales*, *Magiſtratus*, conſtituendi et deſtituendi.

§. 354. *Maiores*, an *minores*, nihil refert. *Minores* ab ipſo Principe, an ab aliis, nomine vel iuſſu Principis fuerint creati, nihil mutat rei indolem.

§. 355. Prima aetate exiguus *Magiſtratuum* erat numerus. Pro regionum extenſione, opibus incolarum, et actionibus, aliisque de cauſſis, crevit in dies *Magiſtratuum* numerus.

*) Imprimis Sec. XIV. PHIL. DE LEID. *de Cura Reip. Gherardus — — expedivit multa negotia* SOLVS *in* CVRIA *Comitis, ad quae forte hodie* DECEM *non ſufficerent.*

§. 356. Olim idem omnium nomen *Officiariorum.*

*) Quid ſit *Officie houden van den Graaf?* quid *'s Graven* OFFICIEREN, of *'s Graafſykheids Officieren?*

§. 357. Creabantur omnes ſub formula *Mandati* ſive *Commisſi*, (vulgo *Commisſien* of *Inſtructien.*)

*) Exhibentur huiusmodi *Commisſionum* formulae bene multae, per quas:

a) Generale Terrarum regimen per Provincias plures uni Gubernatori (*Gouverneur Generaal*) committebatur.

b) *Gubernator* unius Provinciae conſtituebatur.

c) *Conſiliarii* creabantur; nec non,

d) *Balivi* regionum,

e) *Sculteti*,

f) *Theſaurarii*,

g) *Senatores*,

h) *Conſules*,

i) *Scabini*, cett.

§. 358. Invaluit Sec. XIV. ut Principes nonnulla Munia et Officia publica, e. g. *Balivorum*, *Scultetorum*, ad vitam concederent. Postea *annua* etiam *penſione* locarent, cett. (§. 559. ſq.)

§. 359.

Digitized by Google

§. 359. 2) *Magiſtratus*, munere ſuo non bene functos, corrigere vel in ordinem redigere, ſolius erat Principis.

§. 360. *Magiſtratus* ratione *Inferiorum* ſunt *publicae perſonae;* hinc magnae auctoritatis, honorandi, reverendi, neque impune laedendi. Ratione vero *Principis* ſunt *ſubditi.*

§. 361. Si quid igitur ab ipſis committeretur, coram Principe conveniebantur, niſi aliter ipſe Princeps ſtatuerit, concesſeritve.

*) Promuntur inſignia eorum exempla, qui in ordinem redacti, castigati, capitis etiam damnati, *Gubernatores*, *Curiae Praeſides*, *Conſiliarii*, *Balivi*, *Sculteti*, *Scabini*, cett.

**) Adduntur gravia exempla Magiſtratuum fines Iurisdictionis ſuae egresſorum.

§. 362. Si contra quis quidquam in hos Magiſtratus committeret, eos laederet, reſiſteretve; is contra Principem commiſiſse cenſebatur, et eius erat punire (§. 470.)

*) Promuntur exempla bene multa.

§. 363. Qui in detentos a Balivo Scultetove facinoroſos quid committeret, is committebat in Principem, et eius erat animadverſio.

*) Probantur omnia de Comitibus *Hollandiae*, Epiſcopis *Traiectenſibus*, et Ducibus *Gelriae*, exemplis ex omni aevo deſumtis et ex actis authenticis.

§. 364. 3) Erant igitur omnes *Magiſtratus* Principis. Et hosce omnes iure vocabat *ſuos*. (§. 349, 350.)

*) Nihil in toto *Codice Diplomatico* MIERISIANO vulgatius, nihil tritius, quam quod *Comites Hollandiae*, de Magiſtratibus locuti, hos *ſuos* vocent.
Sic ONZEN *Stadhouder*,
ONZE *Rentmeeſters*,

ONZE *Baljuwen*,
ONZE *Schouten*,
ONZE *Rechteren*,
ONZE *Dykgraven*,
Luiden van ONZEN *Rade*, ONZEN *Hove*, et ſexcenta ſimilia.

Vel in tertia perſona, *'s Graven dienaren*; *'s Graven Baljuwen*; *'s Graven rechteren*, *rentmeeſteren*, *Officieren*.
Rechters van 's Graven wege, — *om* ZYN *recht te bewaren*, cett. *'s Gravelykheids Officieren*, — —

§. 365. 4) Hos creandi Magiſtratus ius, ſi per abſentiam, aliisve de cauſſis, exercere non poſſent ipſi, facultatem eos creandi vel *Gubernatori*, vel *coniugi*, vel *fillo*, vel *Tribunali*, vel *Curiae*, ab ipſis ad id conſtitutae, vel minoribus etiam *terrae praefectis* demandabant.

*) Exempla promuntur omnis generis inde a ſeculo XIII. et multa hactenus male accepta hinc ſuae luci et publici regiminis intelligentiae genuinae reſtituuntur.

§. 366. 5) Ceſſante *Principe*, ceſſabant omnes Magiſtratus.

*) Momentoſum hoc aſſertum in iure Publico veteri recte intelligendo probatur ratione *Epiſcopi* Traiectini, *Ducis* Gelriae, et *Comitis* Hollandiae, ex actis Authenticis et diſertisſimis Scriptorum Belgicorum, in his etiam ipſius ANT. MATTHAEI, teſtimoniis.

**) Quid de formula, *Princeps non moritur?*

§. 367. *Mortuo* nempe Principe finiebantur omnes *Magiſtratuum*, *Officiariorum*, et *Gubernatorum*, ſic dictae *Commisſiones*; deinde a *Succesſore* herede vel continuabantur, ſive ad tempus, ſive ut antea; qui vero minus placebant, dimittebantur.

§. 368. 6) Erant omnes Magiſtratus in Principis iureiurando, et iuramento illi adſtricti (§. 688. *ſq.*)

*) Probatur de omnibus Belgii Principibus.

§. 369. Praeſcribebat Hic Magiſtratibus ſuas *iurisiurandi formulas*.

*) Hinc

*) Hinc nihil inſoliti, quod turbato vel mutato temporum ſtatu Principes aut novum exigerent a nonnullis iusiurandum, aut vetus immutarent, vel antea praeſtitum renovare iuberent.

**) Probatur res exemplis.

§. 370. 7) Praeſtitutis ad novam Magiſtratuum, praeſertim Municipalium, electionem certis temporibus, vel elapſo Regiminis tempore, cesſabant horum miniſteria, et novi, vel ab ipſo Principe, vel, eius nomine, a *Curia* creabantur *Magiſtratus*.

§. 371. Quod ſi per negotia oportunum eos creandi tempus deesſet, ſpeciali opus erat mandato, ut *Balivi*, *Sculteti*, reliquique Magiſtratus hoc ſuum Officium vel continuarent, vel alii ad tempus ſufficerentur.

§. 372. Non poterant igitur alii alios abdicare, nec ſufficere, nec alienas ſuſtinere vices, ſine expresſo Principis mandato vel permisſu.

*) Quid ſibi velint formulae, *of die Stede rechteloos ſtonde — opdat de Stad niet zonder regering zy.*

**) Hinc tot literae continuatoriae a Comitibus Holl. vel eorum Vicariis datae, quibus, 1) priores prorogantur *Scabini Conſulesve*; 2) vel impeditis *Balivis*, ſeu per morbum ſeu per abſentiam, novus ad tempus ſufficitur, vel 3) alteri conſulum hoc munus iniungitur; cett.

***) Probatur idem de reliquis *Regionibus*.

****) Per turbas civiles, et ſub Libera Republica, multum in his aliisque est immutatum.

§. 373. 8) Quidquid *ſtipendii* vel *honorarii* Magiſtratibus, omnibus et ſingulis, maioribus, minoribus, dabatur, ſolvebatur id omne a ſolo *Principe* et ex eius Aerario; ſive certo id fiebat honorario, vel ex parte mulctarum Principi debitarum, vel aliis ex commodis.

§. 374. Concluſio, et cautiones obſervandae in le-

Digitized by Google

legendis Scriptoribus Belgicis, qui vetus ius publicum et hiſtorias tractant.

CAPVT XI.

De Poteſtate Iudiciaria Principum Belgarum.

§. 375. Omnis *Iuſtitiae* adminiſtratio et criminum perſequendorum poteſtas, vigore *Superioritatis Territorialis*, uti in *Germania*, ſic etiam in *Belgio*, ſuit penes *Terrae Dominos*, quos Belgae *Landsheeren* vocarunt.

*) Probatur de Comitibus *Hollandiae*,
de Epiſcopis *Traiectinis*,
de Comitibus et Ducibus *Gelriae.*

§. 376. Ingens Iurisdictionis diverſitas pro cauſſarum vel perſonarum diverſitate. — —

§. 377. Olim omnis in Belgio Iurisdictio ſolius erat Imperatoris vel Imperii (§. 253.), ab eoque tamquam fonte perenni omnis Belgarum Principum *Iurisdicendi* facultas permanavit.

§. 378. Quamdiu Terrae Principes, qua *Comites* et *Duces*, regio nomine in terris hisce regiis ius dicebant; hi ſemper, ex *norma Imperii*, adſumtis ſecum *Scabinis* iudicabant (§. 210.).

§. 379. Mutata rerum facie, ac ceſſante Ducum Comitumque *Officio*, quamvis manente *titulo*, Terrae Principes, ante *Vrbes* conditas et *Curias* erectas, priſtinum hunc iudicandi morem retinuerunt, et in *Pagorum* ſive agrorum *iudiciis* per *Scabinos* iudicatum eſſe voluerunt.

§. 380. Erat haec *Iurisdictio* horum Dominorum *pro-*

Digitized by Google

propria ac *patrimonialis* (§. 199.) adeoque *iure proprio* ipſis, ut *territorii* Dominis, competens (§. 254.); ita ut, praeter hos, vel ſine horum mandato, *iudiciariam* hanc poteſtatem in illorum Dominiis ſive *Dynastiis* ſibi arrogare poſſet nemo.

§. 381. Non debemus tamen nobis fingere Dominos *abſolutos* et omni plane lege ſolutos. — *Superioritas Territorialis* nunquam *arbitraria* fuit poteſtas (§. 312.)

*) Quemadmodum poteſtas *Iudiciaria* primitive et originarie nemini eſt propria, niſi qui *ſummus* ſit *imperans*, etiam in *Imperiis* vel maxime *civilibus*, quae ex praeceptis iuris publici univerſalis per mutuam inter Principem et Subditos conventionem ſive tacitam ſive expreſſam exorta: (J. C. VAN HASSELT Diſs. *de Iurisd. crimin. in Gelria ſummo Imperanti unice propria* p. 2–10.) ita, *Iuſtitiae adminiſtrationem* Principibus *iure proprio* ac *patrimoniali* competere, ſignificat, Principes Territoriales ſeu Patrimoniales, praeter nexum *vaſalliticum* et nexum *alodialem*, quibus Imperio erant alligati, et ad reddendas rationes obligati, ſolos fuiſse et unicos terrarum ſuarum, iure proprio poſſeſſarum, Dominos ac diſpenſatores; atque adeo nullam ſine his exſtitiſse Iuſtitiae *adminiſtrationem*; ad quam iuſtitiam tamquam *terrae Domini* penitus erant obligati ex natura rei, ex iure dominii, et ex lege et obſervantia Imperii, quocum duplici illo plerumque vinculo, eoque nunquam interrupto, erant connexi.

**) Omnis Principum Germ. et Belgii poteſtas ſemper fuit ad *Iuriſdictionem* accommodata, immo in ipſa *Iuriſdictione* fundata. Et ſemper recurſus ad Imperium (§. 255, 256.) patuit.

§. 382. Tenebantur hanc Iuſtitiam adminiſtrare, vel in *propria* perſona, vel *aliis* eam adminiſtrandam mandare.

§. 383. Qui mandata hac poteſtate gaudent, haberi debent tamquam ſupremae maieſtatis *Miniſtri*, qui

 omnem

Digitized by Google

omnem ſuam auctoritatem ac potentiam a ſummo Imperante mutuabantur.

*) Qui vel ſolam *Ordinationem Criminalem* (*Ordonnantie op de Criminele iuſtitie in de Nederlanden*) a. 1570. d. 5. Iul. a Duce Albano eiusque Concilio procuratam, et ab omnibus etiamnunc Doctoribus ac Iurisconſultis, pro iſtius temporis modulo, ſummis laudibus celebratam, praedicatam, hoc mentis oculo contemplatur; is ampliore huius Propoſitionis probatione non indigebit. Probatur tamen pluribus.

§. 384. *Iurisdictionem*, Principis nomine, rure exercebant Praefecti ſ. Officiarii, in *Hollandia* et *Zeelandia* dicti *Balivi*, in Ditione *Traiectenſi Marſcalli*, in Gelria *Droſſati* ſ. *Momburni*.

*) His praeter *regimen* et rerum *Dominicorum* exactionem, ius competebat, *cauſſas* cognoſcendi ac decidendi, pro ratione officii ipſis demandati; iidemque aliis miniſtris *ſubordinatis* ad id plerumque erant inſtructi.

**) Huiusmodi ab omni aevo in Hollandia plures fuerunt *Balivatus* ac *Balivi*. *Balivus* Zeelandiae, cum *Orientalis* tum *Occidentalis*; *Balivi inter Moſam et Sipam*; Balivus *Zuidhollandiae*, *Noordhollandiae*, *Westfriſiae*, *Kennemariae* cett.

§. 385. Hi vero non poterant mandatam hanc Iurisdictionem aliis mandare, ſed ipſi eam praeſtare debebant. (§. 372.)

*) Cf. Ill. BYNCKERSHOEK *Quaest. Jur. publ.* L. II. c. 12. p. 268-270.

§. 386. Haec *Iurisdictio* ſi per mortem vel alia ratione ad *Principem* redibat, poterat ab illo retineri, vel etiam alteri mandari.

*) Quod factum, probatur.

§. 387. Mandata, vel in alios collata, vel translata, *ſumma* etiam Iurisdictione, (vulgo *Hooggericht*) non *abdicabat* ſeſe Princeps, ſed *communicabat*, ex formulis praeſcriptis.

§. 388. In *Vrbibus* plerumque *Senatui* Iurisdictio bene-

Digitized by Google

beneficio Principis ceſſit, non tamen eadem ubique ratione.

§. 389. Erant Vrbes, quae, in privatorum Dominorum iure poſitae, non aliam habuerunt Iurisdictionem, quam quae *Dynastiarum* maiorum more exercebatur, quamdiu privatis parebant *Dominis*, utpote *patrimoniali istorum Nobilium Iurisdictioni* ſubiectae.

§. 390. In aliis Vrbibus Princeps Iurisdictionem per *Scultetos ſuos*, ope *Scabinorum* ad id delegatorum, exercebat; quorum *Scultetorum* erat, Collegio Senatus urbici praeſidere.

§ 391. In his aliae, concurrente cum Principe iure, mandatam omnem *Iurisdictionem*, i. e. *maximam* quam vocant, *minorem* et *minimam*, vel *partem* eius aut *ſpeciem*, exercebant.

§. 392. Reſervabant tamen ſibi Principes, crimina *capitalia maiora*, tamquam ſine medio ad ſe pertinentia, nominatim in Iuribus et *Privilegiis* Vrbicis, ſed varia ratione, expreſſa, quos *Caſus exceptos* vocant.

*) Pluribus haec Vir Ampl. P. VAN SPAAN Verhandeling *over 't Hooge Rechtsgebied onder de Regering der Graven van Holl. Heneg. en Beieren* a. 1780. bl. 35—39.

§. 393. Hinc maiore *Officiario*, Principis vice, praeſente, multoque magis, praeſente vel praeſidente ipſo *Principe*, tamdiu ceſſabat aliorum Magiſtratuum poteſtas et iurisdicundi facultas.

§. 394. Praeſidebant ſaepe Principes, in agris et urbibus; de cauſſis magni momenti ipſi cognoſcebant; iuſtitiam adminiſtrabant; ſententiam pronunciabant. —— —

*) Probantur omnia exemplis et documentis ex omni aevo deſumtis.

§. 395. Ante erectas hunc in finem *Curias* luſtra-

ſtrabant Principes ipſi provincias, regiones, urbes, et agros, eaque adibant loca cum *Conſiliariis* ſuis, quos, quocumque irent, ſecum ducebant; qui *Conſiliarii* ipſorum *Curiam* conſtituebant; ubicumque autem erat Princeps, illic eius erat *Curia.*

*) Explicantur multae formulae: e. c. *berechten by des Heeren Baljuw, of by den Heer zelve;*
Cauſa per ipſum Dominum ordinata;
Ad iusſum vel iusſu Domini;
By den Grave in zynen Rade;
Iusſu Domini per Conſilium Hollandiae, cett.

§. 396. In *Iudicando*, ſive in *Oppidis* ſive in *agris*, non modo in conſilium hos adhibebant *Conſiliarios*, tamquam totidem *Adſesſores* cooptatos, ſed adducebant etiam, praeſertim in rebus urbicis nonnullos Vaſallos *nobiles*, tamquam *Iudicii* asſesſores, vel alias etiam *Vrbes*, vel aliarum urbium Scabinos aut Magiſtratus, ——— ——

*) Exempla exhibentur gravisſima. Verba Principis alibi memorabilia: *ſoe ſyn wi ſelve in onſer Stede voerſz. ghecomen mit onſen* RAEDE *ende* STEDEN *omme die quade te corregieren ende onſe Stede ende land in ruste te ſetten ende hebben ſelve een waerheyt daer of bezeten ende een onderſoec gedaen.* ——— ———

§. 397. Horum *adſesſorum* ſententiae non numerabantur, ſed, auditis ſententiis, cum iudicandum esſet, ipſe *pronunciabat* Princeps.

Probatur ex actis et teſtimoniis doctorum.

§. 398. Imprimis cognoſcebant ipſi de *magiſtratibus* cuiuscumque dignitatis vel conditionis, qui iuſtitiam vel negligenter vel iniuſte adminiſtraverunt.

*) Nulla enim *Iurisdictio* cuiquam a Principe fuit concesſa unquam, niſi tacita hac vel diſerta etiam Lege, ut hanc ſecundum *ius* et *iuſtitiam* ex *legibus patriae* adminiſtrarent.

**) Quid *iudicare ſecundum quinque ſenſus?*

§. 399. Multoque magis erat Supremi *terrae* Do-

Domini cognoſcere et animadvertere in eos, qui *ſeditiones* excitarent, *confederationes* inirent, vel contra ipſum Principem *arma* caperent.

*) Exempla per omne Belgium *Seditionum* vel *Rebellionum* criminis ſevere puniti et repreſſi.

§. 400. Quum autem in magna Republ. nimia non conducat ſeveritas in integra corpora; hinc mitiora ſaepe adhibuerunt remedia.

*) Quod varie factum, variisque probatur exemplis.

§ 401. Puniebantur *rebelliones* vel *ſeditiones* integri pagi, urbis, vel agri variis modis (§. 470.)

1) Publicabantur Privilegia, ipſis conceſſa. (§.614.)

§. 402. 2) Diruebantur urbium moenia et portae. (§. 462.)

§. 403. 3) Primarii ſeditionum auctores capitis damnabantur, vel in exilium eiiciebantur.

§. 404. 4) Pecunia, ſive temporaria, ſive perpetua, cenſus adinſtar, imperabatur.

§. 405. 5) Denique criminum poenae vel mitigabantur, vel penitus remittebantur, ſive ante ſive poſt inſtitutam cauſſae cognitionem, etiam poſt latam iam ſententiam.

*) Probantur omnia ex genio ſeculi, ex actis authenticis, exemplis. —— ——

§. 406. Habebant igitur, exercebantque, ſoli Principes *ius aggratiandi*, et *diſpenſandi*.

*) Quid in ſcriptis iſtius aevi, *Comitis gratiam quaerere* vel *habere?*

**) Variae huius iuris ſpecies?

§. 407. Qualis et unde *homicidii expiatio* per agnatos ac Principem; et quod Principis reſervatum, ſi reconciliari agnati recuſarent?

*) Quomodo pravo huic mori eiusque abuſibus obviam ierint Principes?

§. 408.

§. 408. Etſi ſoli Principi ac Terrae Domino competat *Criminum remisſio* et *ius aggratiandi*; invaluit tamen ex nimia indulgentia et abuſu *Remisſionum* licentia, quam plurimi exercere ſec. XV, XVI. coeperunt.

*) Cf. BYNCKERSH. *Quaest. Iur. Publ.* L. II. C. 16. p. 299. *ſqq.*

§. 409. Conſtituerunt iidem *loca certa*, quo ad certum quoddam tempus ſe tuto recipere delinquentes posſent. Vocatur *Ius Aſyli.*

§. 410. Denique quaecumque ad rem *iudiciariam* et *iurisdicendi* facultatem ſpectabant, ea omnia ſolius erant Principis, et omnia esſe *ſua*, vel esſe *Principis* dicebantur.

*) 1) E. g. *Perſonae* ſeu *Magiſtratus* et *Officiarii*, qui vocantur, ONZE *baljuwen*, ONZE *ſchepenen*, ONZE *burgemeeſters*, ONZE *raden*, ONZE *preſidenten*, ONZE *cancelier*, ONZE *ſtadhouders*, *allen anderen* ONZEN *Regteren*, *Iusticieren*, *Iugen*, *ende officieren.* Sic et *'s Graven Baljuwen*, *'s Graven rechteren*; et *'s Graaf lykheids Officieren.*

2) Principis erant *loca* et *tribunalia*, deſtinata iuſtitiae; ONZE *gerechtshoven*. ONZE *gerechten*, ONZE *vierſcharen*, ONZE *raadhuizen*, ONZE *gevangenisſen*, *'sGravenſteenen.* ———

3) Principis erant *Mulctae*; hinc ſemper *onze boeten*, *onze penen*

4) Ipſum denique *ius*; *ons recht*, *onze iuſtitie.*

§. 411. Immo vero quidquid exercebatur *Iuris* vel *Iurisdictionis*, dicebatur ſemper ius *nomine* Principis, et eius erat *omnis Iurisdictio.*

*) Hinc intelligitur, quid ſit, *doende recht uit naam der Graaflykheid.*

**) Semper in hisce *Graaflykheid* et *Graaf* ſunt Synonyma.

§. 412. Quicunque contra haec omnia (§. 410, 411.) delinquebat, is contra ipſum *Principem* iure de-

Digitized by Google

deliquisſe cenſebatur, et cauſſa coram Eo vel eius *Concilio* vel *Tribunali* diiudicabatur.

§. 413. Maximum et omnium momentoſisſimum Subditis Privilegium ſemper est *Recurſus* ſive *provocatio* ad *Principem*.

§. 414. Gaudebant hoc Privilegio omnes, qui *exemtae* erant *Iurisdictionis*, adeoque nemini niſi *Principi* immediate ſubiecti.

*) Hoc locum habebat

1) In *Vrbibus liberis*, quae ab *Balivorum*, per agros ius dicentium, iurisdictione (§. 379.) paullatim per Privilegii Chartas immunes declarabantur.

2) In *Dynastiis liberis*, quae nemini niſi Principi immediate ſubiectae.

3) In *Abbatiis*, e. g. *Egmondana*, *Rynsburg*, *Leeuwenhorſtiana*, quae ab omni aliena Iurisdictione erant exemtae.

§. 415. At Principes, creſcente rerum mole, quumque varias terras atque dominia reliquis ſuis posſesſionibus adiicerent, adeoque ipſi cum *Concilio* ſuo ambulatorio amplius non ſufficerent, in ſingulis terris inſtituerunt *Concilium aulicum*, ſive *Curiam*, cui *Gubernator* praeficiebatur, qui ipſorum vice fungeretur, ad quem in prima inſtantia ob maiorem ſubditorum commoditatem concedebatur Provocatio.

*) E. c. *Een Raad geſteld ter regeringe dezer Landen.* — *Onzen Raad, wien wy onſen Lande van Holland bevolen hebben te regeren.* —— *Onzen Rade van Holland.*

**) Pleni his ſunt *Libri Memoriales* (vulgo *de Memorialen van 't Hof.*)

***) Huius Curiae *Gubernatoris* tanta olim dignitas auctoritasque, ut uteretur et *ſigillo* et *inſignibus* Principis.

§. 416. Emendata vero paullatim per totam Germaniam re iudiciaria, ad Imperii et reliquorum Germaniae Statuum imitationem, *Principes Belgae* erexerunt *Curias Provinciales*, ſive *Tribunalia*, iisque ſuas

for-

Digitized by Google

formulas praeſcripſerunt, ad eademque conceſsa eſt a minoribus iudiciis Provocatio.

*) Huiusmodi postea in *Hannonia*, *Burgundia*, *Hollandia*, *Ditione Traiectina*, alibique, inſtitutae ſunt Curiae.

§. 417. Multiplicatis hisce Curiis, neque eo minus ingenti in dies negotiorum mole ad ipſum Principem (§. 413.) et privatum eius *Concilium* (§. 415.) *Curiamque* (§. 416.) devoluta; ſuperadiectum eſt *Supremum* omnium *Tribunal*, ad quod ſuperior cauſſarum inſpectio et provocatio per Principem fuit translata.

*) Huiusmodi fuit *Supremum Tribunal Mechlinienſe*, vulgo *de groote Raad van Mechelen.*

**) Lectu dignisſima eſt Supremae huius Curiae erectio, a PHILIPPO *Pulcro*, MARIAE Comitisſae Hollandiae filio, a. 1503. (MIRAEI *Opp. Dipl.* T. II. p. 1044.) cuius praeloquium hoc eſt: *Philippus Dei gratia Archidux — Dux Gelriae — Comes Hollandiae, Zeelandiae, Dominus Friſiae. — — Quoniam bonitate et providentia divina, qua omnia reguntur ac gubernantur, conſtituti et ordinati ſunt Principes ad regimen et gubernationem Principatuum ac Dominiorum, ad hoc ſingulariter, ut per eos nomine Dei Creatoris noſtri, terrae et ſubditi gubernentur ac dirigantur in bona unione, concordia, et laudabili politia: quod fieri nequit, niſi iustitia bene ordinata ac regulata, quae eſt Reipublicae anima! Qua in re ſemper optavimus et exoptamus omni munere noſtro fungi ad bonum et honorem noſtrum, atque ad bonum terrarum noſtrarum ac ſubditorum. —*

Et quoniam ante hac noſtrum SVPREMVM CONSILIVM (§. 395. ſq. 415.) *conſueverit ſequi Praedeceſſores noſtros et Nos; ad quod ſemper pertinuit cognitio et ius iudicandi* PER APPELLATIONEM *de cauſis plurium noſtrarum terrarum, et in prima inſtantia de cauſis dependentibus a noſtra Supremitate et Auctoritate, quarum cognitio ad Nos pertinet; et cum quotidie longe maior cauſarum multitudo illuc affluat et ſuperveniat, quam unquam antea; adeoque ſi mandaremus praedicto Supremo Conſilio, ut ſequatur Nos, qui intra longum tempus, uti veroſimile eſt, deinceps haud diu erimus in eodem loco,* IVSTITIA *praedicti noſtri Supremi Conſilii, ac ſubditi noſtri, qui illo egent aut indigebunt, tam pro expeditione* ſua-

Digitized by Google

ſuarum litium, quam pro Decretis Iudicialibus, magnopere retardarentur et damnum paterentur; quin immo impoſſibile foret, easdem lites aeque commode ac fideliter audiri, examinari ac decidi, neque Regiſtra aequaliter videri, dum opus fuerit, neque iuſtitiam fieri aeque bonam ac brevem, quam ſi ordinaremus dictum noſtrum SVPREMVM CONSILIVM *fixum in aliquo loco, ad quem ſubditi noſtri commodum haberent refugium atque recurſum pro cauſis ſupra dictis, non recurrendo ad Nos: notum facimus. — — Habebunt dicti Conſiliarii cognitionem et ius* IVDICANDI *de quibuscunque cauſis et negotiis, de quibus* SVPREMVM *noſtrum* CONSILIVM *ante praeſentem Ordinationem cognoſcere conſuevit tam in prima inſtantia, quam per appellationem; ſalvo, quod poſſimus* EVOCARE *ad Nos noſtrumque Conſilium, quod apud Nos manet,* QVASCVMQVE CAVSAS, *prout libuerit et circumſtantiae requirent*".

§. 418. Interdum ab minoribus Tribunalibus ob ingentes ſumtus per Privilegia *de non appellando*, Curiis mediis omiſſis, patuit aditus ad ipſum Principem.

*) Hinc illi, qui ex Privilegiis *de non appellando* argumentantur ad *ſummum* et *liberum* Imperium a nemine amplius dependens, male ipſis conſulunt *Privilegiatis*; nec bene eorum cohaeret argumentatio.

**) Vltimus ad *Principem* recurſus ſemper ſummum eſt bonum. (§. 413.)

***) Abuſus Appellationum.

§. 419. Non dabatur tamen appellatio in Tribunalibus maioribus a ſententiis Criminalibus, per quas *vitae* vel *membri* poena irrogabatur.

*) Indicatur rei ratio.

§. 420. Et tamen ne his quidem, qui Capitis damnati erant, ſemper omnis plane *Appellatio* denegabatur.

§. 421. Quod ſi ipſi Belgarum *Principes* Officio ſuo non ſatis ſtrenue fungerentur, iuſtitiamve denegarent; non interclufus unquam fuit Belgis ultimus ad *Imperium* recurſus. (§. 255, 256.)

*) Pro-

*) Probatur exemplis et teſtimoniis, quod ad *Imperatorem* vel eius *Tribunalia* fuerit appellatum, ipſique Belgae Principes coram iis ſint citati.

**) Habuerunt imprimis hoc ius Appellationis *Friſii*, quam tamen facultatem rogantibus Friſiis Carolus V. Imp. abolevit.

§. 422. Alia denique ſupereſt *Iurisdictionis* ſpecies, quam *ſubditus* in *ſubditum* exercet, ex nexu Vaſallorum feudali imprimis exorta, qua Terrae Domini *Nobilibus* ac *viris primariis* terras cum iure Dominii conceſſerunt: qui, ex indole Iurisdictionis ſuae *Patrimonialis*, in ſuis ipſorum praediis ius dicebant ſubditis, rure habitantibus.

*) Huiusmodi ſunt *Dynaſtiae* atque *Ambactiae*, (*Hooge en Ambachtsheerlykheden*)

**) Non confundendae hae *liberae Dynaſtiae* in Principum Territoriis enatae cum adventitiis territoriis (§. 967. **); multoque minus cum liberis illis Dynaſtiis, unde *Comitatus*, *Ducatus*, eorumque Domini Territoriales ſunt exorti (§§. 257. ſq. Cf. §§. 702. ſq. §. 848. ſqq.)

§. 423. His peculiaris ac ſubordinata competebat *Iurisdictio Territorialis* ſeu *Patrimonialis*; ſive iure *clientelari*, ſive iure *proprio* exercenda; quum e contrario illa, quam *Summus Imperans* ſeu *Territorii Dominus*, in perſona ſuorum Magiſtratuum, exercet, demandata ſit et adminiſtratoria.

§. 424. Nexus ille Territorialis ne Privilegiis vel exquiſitisſimis, immo ne *Apanagiis* quidem ac *donationibus in proprium*, tollitur, niſi contrarium diſerte pateat. Semper enim hic vel *tacite* vel expresſis verbis excipitur.

*) Ex 100. exemplis duo ſufficiunt.

De Apanagio: MIERIS *Charterboek* D. III. bl. 332 b. Comes Hollandiae ex teſtamento a. 1377. dat filio ſuo tertio IOANNI, *Apanagii loco*, *terram ac dominium de* WOERDEN, his verbis: *que Iehan – ayt – apres le trespas de nous ſeu pere* — LE TERRE *de* WOERDENS

ou

ou pays de Hollande, tout enſy quelle gyst et s'eſtent, en toutes DROYTURES *et* REVENUES, *tant en* IUSTICE *comme en aultre maniere,* EXCEPTET *le Souveraineté.*

De donatione MS. *Inventaris van Chartres* cett. fo. VI. vso.

Eenen brief met een groen zegel —— in date 13. Ian. a. 1459. daer by Hertoge PHILIPS *geeft Heeren Iohan van Waſſenaer in faveur van zyn huwelick met Ionckvrouwe Catherina de Craon —— (la haulte Seigneurie) die hoghe Heerlicheyt vanden dorpen van Voorſchoten ende Catwyck, voor hem zyne nacomelingen ende actie van hem hebbende,* RESERVE *les Foy, Hommage, Reſſort, et Souveraineté.*

**) Eadem omnia de reliquis probantur Regionibus.

§. 425. Concluſio, et cautiones in legendis ſcriptoribus Belgicis ſerioris aetatis post excuſſum Dominium.

C A P V T X I I.

De Iure Belli, Pacis, et Federum Principum Belgarum.

§. 426. Omnis Reipublicae ratio ad externam vim arcendam non minus est comparata, quam ad quietem internam inter Reip. membra ſervandam.

§. 427. Cuius est territorium, eius est Territorii defenſio (§. 690).

§. 428. Initio Regni Francici, et diu post, ſolius Regis et Imperatoris fuit vel per ſe vel ſuo nomine bella gerere.

§. 429. Epiſcopi, Duces, Comites, qua tales, in ſuo quisque territorio, olim regio nomine et vice, *iubebantur* militiam inſtruere et militantes evocare.

Digitized by Google

§. 430. Iidem poſtea temporis ius *belli gerendi*, *arces* ſtruendi, ſubditos ad communem terrae defenſionem (vulgo *ad Landweram*) *evocandi*, inconſulto vel etiam invito Imperatore, exercere coeperunt.

§. 431. Non tamen id fecerunt tamquam *Epiſcopi*, *Duces*, et *Comites*, ſed tamquam territorii ſ. *terrae Domini*, (als *Landsheeren.*)

§. 432. Hoc ius bellandi in Belgio *Epiſcopi* et *Comites* iam mature exercuerunt.

*) Probatur exemplis inde a ſec. X, XI. cett.

§. 433. Ex hoc *bellandi* iure habuerunt omnia illa, ſine quibus Principes *bella* gerere, ac *terrae fines* adverſus hoſtilem impetum defendere, nequeant.

§. 434. In omnibus Actibus hoc ius tacite ſemper eſt intellectum ac reſervatum.

§. 435. Diverſus olim ab hodierno mos bellandi, et dira bellorum ſors, et effectus.

§. 436. Omnes *ingenui* ſive *liberi* homines, in territorio habitantes, ad terrae defenſionem, ſub poenis gravisſimis, etiam capitis, erant obligati.

*) Oriebatur hoc ex nexu cum *alodiali*, tum *feudali*.

**) Sollemnis formula, poena capitis (*op lyſ en goed*); in Vaſallis ſub *feudi amisſione*.

§. 437. Hoc tam indubitati olim erat iuris, ut, ſimulac homines *proprii* ac *cenſuales* manumitterentur, ad haec militiae onera, ſubſidia ferenda, et id genus *officia* Principi praeſtanda, cum reliquis *liberis* hominibus obligarentur.

*) Sexcenta huiusmodi proſtant in Chartis Comitum Hollandiae. ———

§. 438. 1) Habebant hinc Principes Belgae ſpeciatim *ius ſequelae*.

*) Probatur de omnibus.

**) Quid ſit *ter heervaart gebieden*; *gewone heervaart*, *rechte heer-*

Digitized by Google

heervaart; 'sgraven heervaart: ter heervaart porren; ſervire Domino in expeditione ſua, zyn heervaart verzitten, cett.

§. 439. Hinc tot exempla evocatorum ad ſequendum Principem vel praefectos eius militares.

§. 440. Nec non exempla Statutorum, Immunitatum, ac Privilegiorum, per quae conſtitutum, quid quisque *Vaſallus*, quaeque *Vrbs*, vel quaelibet *Regio*, pro modulo quaeque ſuo, ad expeditiones bellicas esſet allatura.

§. 441. Interdum ex ſingulari Principum gratia, aut causſa, nonnulli vel *homines* vel *collegia* liberabantur ab eiusmodi obligatione ſervitum eundi, ſive penitus, ſive ex parte, aut ratione nonnullorum praediorum, ſive etiam ad tempus.

*) Probatur hoc pluribus per totum Belgium exemplis et chartis.

**) Huiusmodi datae immunitates hoc ipſum Principum ius et ſubditorum obligationem probant.

§. 442. Regulariter *Militia* olim propriis militantium expenſis fiebat. Et quomodo?

§. 443. Huius intuitu dabantur viris primariis *feuda* maiora ac *militaria*, quae *ſtipendii* instar erant.

*) Origo Feudorum his in terris.

§. 444. Huius intuitu reliqui *liberi* homines erant *quieti* bonorum ſuorum posſesſores (§. 679. *ſqq.*) et *tributis* immunes (§. 191. n. 5. et 846.).

§. 445. Quicumque ſervilis erant conditionis ac *cenſuales*, non militabant (§. 815, 816.).

§. 446. In his vero omnibus pedetentim quammaximae immutationes contigerunt, cum ratione *perſonarum*, *temporum*, *locorum*, et *opum* accreſcentium, tum imprimis ex mutata *bellandi* ratione, et milite *mercenario*.

§. 447. Praeſtationes hae perſonales paullatim etiam in pecuniarias ſunt transfuſae.

 *) Hinc

*) Hinc multa explicanda, hactenus in Hiſtoria Belgica obſcurata.

§. 448. Multa, quae ad *ordinem*, *formam*, et *aequalem* partium diſtributionem, ad *modum* evocandi, *exemtiones*, cett. ſpectant, male confunduntur cum ipſo *bellandi* iure.

*) Vnde ingens ſaepe illuſio; et multa perperam tradita.

§. 449. Imprimis non confundenda bella ad *terrae defenſionem* gerenda, cum iis, quae *offenſiva* vocantur, quando Princeps aliorum invadit terras; idque maxime ratione *expenſarum*.

§. 450. 2) Habebant iidem Principes ius *müniendi* et *excitandi* loca Munita, Vrbes, Arces, Caſtella.

§ 451. Ante *Vrbes*, ab Principe exſtrui coeptas, pauca olim in agris erant loca munita, neque haec inconſultis Regibus olim excitare, munire, inſtruere licuit.

*) Haec Principum Belgarum molimina primitus aegre tuliſſe Reges Germaniae, probatur.

§. 452. Poſt *conceſſum* tamen illis, vel tacite *indultum* hoc *excitandi* ius, nunquam quisquam in Belgio Castra, vel Oppida, vel loca munita exſtruxit, niſi terrae *Princeps*, ſive *Comes* is esſet, ſive *Dux*, ſive *Episcopus*; vel iis ſaltem iubentibus, vel permittentibus.

*) Habentur huius Asſerti tot testimonia, quot *Castra* et *Arces*.

§. 453. Poterant etiam prohibere, ne quis Caſtra conderet; vel modum praefigere, et locum.

*) E. g. Ne quis prope Vrbem vel ex aliquo intervallo Arcem excitaret.

§. 451. Faciebant hoc tamquam *ſuperiores terrae Domini*.

) Pro-

*) Probatur multis Documentis. Vnum de Epiſcopo Traiectenſi ſufficiat exemplum, MIERIS *Charterb.* D. II. bl. 247. a. 1320. *Ipſis*, inquit Epiſcopus, *memoratum Castrum edificandi, erigendi, et fortificandi tamquam* DOMINVS SVPERIOR TERRAE *plenam concedimus facultatem.*

§. 455. Poterant haec in *feudum* concedere, *alienare*, *oppignerare*, ſine cuiusquam interventu.

*) Probatur multis. E. g. Episcopus Traiectenſis IOANNES VAN DIEST pro L. 43000. — Comiti *Gelriae* oppignerat Castrum *Vollenhove*, *terram Zallandiae*, ac *Tuentiam cum urbibus* et *agris* et omni *iure* ac *dominio*. MIERIS *Charterb.* D. II. bl. 576.

§. 456. Horum erat curare, ne quis, ex maiori. quam adeptus esſet, potentia vel auctoritate, *potentior*, terrae quietem turbaret, ac plebem opprimeret.

*) Exempla huius generis innumera.

§. 457. Ex eiusmodi *Castris* et *Arcibus* plures postea *Vrbes* ſunt exortae.

*) Probatur res exemplis ex omni Belgio, imprimis ex *Hollandia* et *Dioeceſi Traiectina*, eiusque Ditionibus.

**) Quid *Castellaniae*; *Praefecturae*? Quid *Castellani*; *Burggravii*, ratione Vrbium?

§. 458. Non tamen omnia *Oppida* et *Vrbes* ex Castris enata.

§. 459. *Vrbes* et *Oppida* ſtruere, munire, muris circumdare; in his *munitiones* excitare, *foſſas* ducere, quaeque praeterea ad munitionem ac praeſidia faciunt, *procurare*, *iubere*, *permittere*, ſolius erat Principis.

*) Probatur de *Gelris*, *Traiectinis*, imprimis *de Hollandis*.

§. 460. Vrbium moenia ulterius *proferre* vel *ampliare*, ſine conſenſu Principis, nunquam licuit.

*) Probatur de omnibus.

Digitized by Google

§. 461. Hinc mirum non eſt, quod haſce *Vrbes* vocarent *ſuas urbes*, *ſua oppida*; et ipſi *Oppidani* Principis eſſe dicerentur.

§. 462. Quod ſi qua oriretur *rebellio*, vel *ſeditio*; hinc ſupplicii ſaepe loco *muros urbis* vel *portas disiicere*, vel *foſſas implere* iubebantur. (§. 402.)

§. 463. Omnis rei bellicae cura penes erectas poſtea Curias ſive Concilia (§. 415.) eſſe iusſerunt Principes.

*) Vnde multa intelliguntur ratione *publici Regiminis* hactenus mirum in modum intricata.

§. 464. Quod de *caſtris* et *urbibus*, idem de *apparatu navali*, et *navibus bellicis* vèrum eſt.

§. 465. 3) Principes his ſuis Caſtris *milites* praeſidiarios imponebant, atque omnes Praefectos militares creabant, ſive Arces defenſuros, ſive in Caſtris militaturos.

§. 466. Mandata ad hos Praefectos mittebant, qui his mandatis parere tenebantur.

*) Hinc explicantur, quae de *Marſcallis*, *Caſtellanis*, aliisque *Praefectis bellicis* in ſcriptis vetuſtis et actis authenticis occurrunt,

**) Formula Commisſionis, qua eiusmodi *Caſtellani* conſtituebantur.

§. 467. Eadem omnia de *Praefectis Maritimis*, imprimis de *Amiraliis*, eorumque origine.

§. 468. Ante Concilia bellica a Principe inſtituta (*Amiralteiten*), rerum terra marique geſtarum cognitio penes ſolum erat *Principem* vel eius *Curiam* (§. 463.)

*) Probatur imprimis de Hollandia pluribus exemplis.

§. 469. 4) Quum omnis armorum cura Principibus incumberet, hinc nihil inſoliti ineſt, quod Principes prohibere potuerint, prohibuerintque, ne quis

Digitized by Google

quis ſe inſciis vel invitis *arma geſtaret*; vel quod aliis arma geſtandi facultatem conceſſerint.

*) Omnis generis exempla proferuntur. En duo triave! Prohibet Comes Holl. opidanis *Vliſſing.* ne quis praeter *Balivum* ſuum *Scabinosque*, ſub poena L. 10 —— certa arma, tela, cultros geſtet. MIERIS *Charterb.* II. bl. 424. cf. de *Mediob.* D. II, bl. 826, 854.
Idem prohibet in Vrbe *Dordrac.* cuius Magiſtratui facultatem concedit *prohibendi*, ne quis cultros geſtet, *ibid.* D. II. bl. 530.

§. 470. Hinc graviſſime puniti, qui *invito* Principe arma gerebant, capiebant, (§. 401. ſqq.) multoque magis, qui Principis *Officiarios* (§. 362.), ipſumque adeo *Principem* armata manu petebant, vel per ſeditiones rebellionesque (§. 401.) *Oppida* vel *Caſtra* oppugnabant, vel cum aliis ſeſe confederabant.

*) Probatur exemplis ex omni Belgii aevo deſumtis.

§. 471. Duriſſima hinc ſemper et infelix *Subditorum Vaſallorumque* ſors et conditio, quando inter Principatus *Succeſſores* vel *heredes* contentiones de ipſa *Succeſſione* oriebantur, in quibus ſubditis, imprimis *Vaſallis*, neutrarum eſſe partium nunquam licebat; certe non poterant; quique adeo, prout vel hae vel illae partes ſibi iustiores aut potiores eſſe videbantur, vel proprio etiam commodo ad hoc vel illud latus flectebantur; diverſas ſectari partes ſolebant.

§. 472. Qui cauſſa cadebant, non aliter unquam habiti quam *rebellionis* rei, et pro variis circumſtantiis varie puniti; tamquam qui adverſus *verum et legitimum* vel *naturalem ſuum Dominum* arma cepiſſent.

*) Plena exemplorum est omnis aevi Hiſtoria, imprimis vero Belgica. Et iuſtitia horum ſuppliciorum ex ſolo

Digitized by Google

iure et vi Imperii, bene intellecta, diiudicari poteſt.

**) Hinc etiam iudicium ferre licet de duratione et perpetuitate vehementisſimi illius odii *Hoekiorum* et *Cabeliaviorum*, inter primarias familias, earum liberos, nepotes ac pronepotes, continuati, et a Principibus vix ac ne vix quidem repreſſi, exſtincti tamen.

***) Idem de eiusdem generis contentionibus alibi.

§. 473. Quod ſi ne *arma* quidem vel *cultros* geſtare ſeſeve armare, inconſulto Principe, licebat: multo minus extra fines *territorii* alios adiuvare, ſubditis erat integrum.

*) Belli enim geſtio ita ſolius erat *Principis*, ut ſine eius conſenſu ne *Nobilibus* quidem fas unquam fuerit alio ſervitum ire.

§. 474. Poterant igitur Edictis cavere, et caverunt, ne Subditi extra ditionem caſtra alieni domini ſectarentur, vel extraneam militiam militarent.

§. 475. 5) Ex iisdem principiis *ius Repreſſaliarum*, quod vocant, penes Principes Belgas, eosque ſolos, fuit.

*) *Ad* quod *probandum* (recte Vir Conſ. VAN HEEL in Diss. *de Repreſſaliis*, 8° *a.* 1761) *non opus erit*, inquit, *Chartas in medium proferre, quum vel ex qualibet Inſcriptione Chartarum, poſtea allegandarum, illud attendenti manifeſtum fiet.*

**) Sic e. g. ao. 1438. d. 14. April. *Ordines Hollandiae* Curiam Principis, quae Hagae Comitum reſidebat, et cui commisſum erat Terrae regimen, facultatem rogabant utendi *Repreſſaliis* adverſus Ooſtlandos. Concedit eam Curia, et navigationem eo dirigendam nomine Principis prohibet.

§. 476. Iidem Principes ſoli *ſalvum conductum* ſive publicas tuti commeatus literas dederunt.

§. 477. Iidem ſoli naves conductitias (olim *Vredeſchepen*, nunc *Convoiſchepen*) concesſerunt.

§. 478. Iidem ſoli bella indixerunt.

*) Quid olim *diffidatio*?

**) Exhibentur *Diffidationis* exempla et literae.

§. 479.

§. 479. 6) Habuerunt iidem *ius Aperturae;* quod quale ſit, deſcribitur.

*) Olim a Principibus non aliter Caſtra Nobilibus atque Vaſallis conceſſa, ſeu tacite ſeu expreſſe, niſi ea intericcta clauſula, *ut concedenti ſemper pateat Caſtri ingreſſus.*

**) Exempla et teſtimonia de *Epiſcopis Traiect.*, *de Comitibus Hollandiae*, *et Ducibus Gelriae.*

§. 480. *Aperturae* proximum *ius Albergariae;* quod quale ſit, docetur

§. 481. Habebant Principes, ubique locorum, imprimis poſt Vrbes erectas, in locis et urbibus primariis hoſpitia ſua, quo diverterent.

*) Probatur teſtimoniis et exemplis.

§. 482. *Claves urbium* ac *munitionum* erant Principum.

*) Probatur de omnibus in Belgio Principibus,

§. 483. Hinc origo repetenda, quod Principibus introëuntibus Claves offerrentur.

*) Exempla *Clavium* Terrae Dominis traditarum.

§. 484. Quibus harum Clavium cura et cuſtodia olim commiſſa?

*) In Caſtris regulariter erant penes *Caſtellanos*, in Vrbibus penes *Scultetos.*

**) Poſtea temporis in his nonnihil variatum atque immutatum, ex *Privilegiis* cum gratioſis, tum pacticiis.

§. 485. 7) Habuerunt iidem *ius Angariarum* et *Parangariarum.*

*) Quid et quale ſit hoc ius, deſcribitur. Vulgo Belgice *Hand-* en *Spandienſten.*

§. 486. Integrum ac plenum in has *Angarias* ſive *praeſtationes* Principi ius, niſi poſtero tempore vel ex *Lege* vel *Privilegio* aliter a Principe cautum.

*) Quum enim immodicas ſaepe et arbitrarias Operas Principis *Officiarii* a Subditis exigerent; vel extra territorium, idque pacis etiam tempore, extenderent; hinc

Digitized by Google

ipſi ſaepe Principes has definiebant vel moderabantur.
**) Quid proprie *Zetelgoed* en *Sadelvrye goederen* (cf. §. 891.)?

§. 487. Variae ſubditorum praeſtationes, earumque nomina.

*) Quid *Vroondienſten*, *Vroonlanden*, *Hofdienſten*, *'s Gravendienſten*, *Heerendienſten*?

§. 488. 8) Erat Principis *Ius metatorum* ſive *inhoſpitationis* (vulgo *inkwartiering.*)

*) Quatuor postrema (§§. 479--488.) domi militiaeque iuxta obtinebant.

§. 489. Solvuntur Obiectiones; quarum prima haec est:

„ Ex Actis publicis plena fide conſtat, non *Principes* duntaxat, ſed et *populum*, neque *populum* tantum, ſed et *urbes* ſuo aere ſua bella gesſisſe. Vt autem posterorum Comitum in Belgio crevit auctoritas, haec iura paullatim minuta esſe auctoritate, fraude, dolo, et quandoque vi." Sic Vir ill. BYNKERSH. *Q. Iur Publ.* I. 23. p. 163."

§. 490. Sed facilis est reſponſio.

*) 1) Monſtroſa profecto fuisſet eiusmodi Resp., ubi non modo *Princeps*, ſed et *Populus*, immo ſingulae *Vrbes*, ſuo marte bellare potuisſent.

2) Contrariatur hoc iuris publici per ea tempora genio, et rei naturae, niſi *ius manuarium* cum *iure belli* confundas. Neque ulla in his Principum uſurpatio, ſed cum honore coniunctum onus ſat grave (§. 895.)

3) Sed ſalva res est. Sola enim *Actorum Publicorum* inſpectio iis in locis, unde multi hoc ius probari volunt, hanc obiectionem ſemper penitus deſtruit. Nihil enim horum factum unquam est proprio marte, ſed vel *iusſu* ipſius Principis, vel interventu *Curiae Principis* (§. 415. cf. 468.) quam Curiam Nostrates cum ipſo Populo vel cum Vrbibus confundere fere ſolent (§. 640. *ſq.*).

§. 491. Obiectio.

„ Non obligati fuere ſubditi Principibus ire ſervitum, niſi *ſponte*, *volentes*, *haud inviti*. Promuntur etiam exempla,

Digitized by Google

pla, quod bella detrectaverint; quod fines, quousque ſequendum, determinati fuerint, cett."

§. 492. Reſponſio.

*) Argumenta, quibus utuntur, plerumque probant id, quod negatur. Confunduntur etiam multa, imprimis 1) *bella defenſiva* ad patriae fines defendendos, et *offenſiva*, ad hostes exteros in ſuo territorio invadendos.

2) Confunditur univerſus pristinus bellandi mos, ubi ipſi *Vaſalli* et *ſubditi* militabant, atque hodierna conſuetudo, ubi milite mercenario cuncta fere transiguntur.

3) Confunduntur Terrae unius eiusdemque Principis diverſae, et longe disſitae, quibuscum nulla erat Belli conſociatio.

**) E. g. Non obligatus *de iure* erat *Hollandus fines* Principis ſui *Hannonios* defenſare, niſi ſi et hae Regiones eſſent confederatae. Vt postea factum.

§. 493. 3) Obiectio.

„ Subditi ad militiam non fuere obligati, niſi *expenſis Principum.*"

§. 494. Reſponſio.

*) Qui talia obiiciunt, ſtatum bellandi istius temporis penitus ignorant. Quidquid per illa tempora fiebat, id omne quidem ad Principis aerarium ſpectabat (§. 1000.). Et vel ſic tamen multa hic diſtinguenda, ratione *obligationis*, *vaſallorum*, *terrarum*, cett.

§. 495. 4) Obiectio esſe videtur gravisſima, ſed est omnium levisſima.

„ Non potuere Principes bella gerere, ſine permisſu Ordinum."

§. 496. Reſponſio.

*) Longe alia docent monumenta fide dignisſima. Confunduntur ſaepe Conſultationes ac deliberationes Principum, vel horum Curiae vel terrae Gubernatoris, postea temporis cum Ordinibus habitae nonnunquam; nonnunquam etiam, ſeriori potisſimum aevo, ob cauſſas ſat graves, eorum requiſitus et impetratus Conſenſus; imprimis, ubi requiri coepit pecunia, qui nervus est belli. Num de *iure* requirendus fuerit Conſenſus, alia est quaeſtio. Sed de his plura *Cap.* XIV. §§. 732. ſqq. cf. §. 999.

§. 497.

Digitized by Google

§. 497. Generales Regulae circa *ius belli* Principum Belgarum obſervandae:

*) 1) Reg. Confundi non debent Bella *defenſionis* cauſa inſtituta cum *Offenſivis*, quorum diverſa admodum in omnibus omnino iſtius aevi Dominiis ratio.

2) Reg. Multa licent praevia Principis auctoritate.

3) Reg. Multa ſine hac auctoritate ſunt punita.

4) Reg. Multa ex iure *manuario* vel *diffidatione* exorta cum *iure* Principis confunduntur.

5) Reg. Multa etiam exigente neceſſitate facta ſunt, *ſalvo iure Principis*, quae, tacite vel diſerte, ſunt confirmata, vel peremta.

6) Reg. Nulla valet argumentatio ab iis, quae per *turbas* civiles, vel per *confederationes*, contigerunt, ad *ius*.

§. 498. Quod ſi Principibus Belgis *ius belli* competierit; quanto maiore iure facultas *inducias*, *pacem*, et *federa* pangendi,

*) Probatur de *Induciis*.

§. 499. Federa *Pacis* inierunt proprio nomine pro ſe ſuisque ſubditis; nulla alterius habita mentione.

*) Probatur hoc ingenti exemplorum numero per omnem Principum aetatem, a primis inde ſeculis.

§. 500. Cum aliis Principibus *Federa mutuae defenſionis* inierunt, nullius niſi *Conſiliariorum* vel *Curiae* ſuae habito conſilio, datisque mandatis terrae incolis, ut ex his federibus agant et vivant.

§. 501. Steterunt penes illos *Federa Commerciorum*, et facultas de iis ſtatuendi, cum ratione *peregrinorum*, tum *teloneorum*, quae ab peregrinis vel exigantur, vel illis remittantur.

§. 502. *Federa clientelaria* aliave id genus inierunt.

§. 503. Iidem ad pangenda *Federa* vel *Controverſias* decidendas conſtituerunt *Arbitros*; — miſerunt *Legatos*, — dederunt Literas procuratorias, fideiusſorias, ut de *federe* vel de *pace* ageretur.

§. 504.

Digitized by Google

§. 504. Concluſio, et cautiones in legendis Scriptoribus obſervandae.

CAPVT XIII.

De Iure Principum Belgarum concedendi Privilegia.

§. 505. Ius *Privilegia* concedendi ſummo Imperanti competit.

§. 506. Iure Romano ius Privilegiorum fuit penes Imperatorem.

§. 507. In Imperio R.-Germanico itidem penes Imperatorem, et quomodo?

§. 508. Idem in ſingulis Territoriis ius habent *Status Imperii* et quotquot *Superioritate* gaudent *Territoriali.*

§. 509. Hoc ipſum ius habuerunt in *Hollandia* et *Zeelandia Comites*, in *Gelria Duces*, in Ditione *Traiectina Epiſcopi.*

§. 510. Hi *Epiſcopi*, *Duces*, *Comites*, qua tales, non dederunt *Privilegia.* Vt tales, *vicario* tantum atque *adminiſtratorio* nomine Territoriis Imperii praeerant.

§. 511. Vt tales, ipſi ab Imperio Privilegiis mactabantur.

*) Probatur res multis exemplis et Privilegiis ab Imperio ipſis conceſsis.

§. 512. Vt tales, multa peragere ab Imperio prohibebantur, quae *Superioritatem Territorialem* postea nacti, vel ex Privilegiis ſibi conceſsis (§. 511.) vel vigore huius Superior. Territ. (§. 313.) paullatim ipſi facere aggreſsi ſunt.

§. 513. Sed dederunt Privilegia, qua *liberi Domini*

mini ſive *Dynaſtae*; qua rerum ſuarum arbitri; qua *ſupremi Terrae Domini*, ſive *Domini Territoriales*, Belg. *als hun rechte Landsheer*, *hun rechte geboren Landsheer*, *hun natuurlyke Heer*, *hun natuurlyke en erflyke Heer*, *hun ſouvereine Prinſe en Vorst.*

*) Quod probatur per omnia ſecula.

**) Quando *Comites* Holl. hoc *Comitis* nomen cum titulo *Terrae Domini* commutarunt?

***) Vana nonnullorum diſtinctio inter *Dominum Supremum* (*Souvereinen Heer*) et *Dominum naturalem* (*Natuurlyken Heer.*)

§. 514. Neque unquam dederunt quidquam, niſi quod ſuum ipſorum erat.

§. 515. *Privilegium* origine vocis eſt *priva lex*; definitur *exceptio a communi patriae vel terrae lege*; alii aliter.

§. 516. Saepe perperam confunduntur *Lex* et *Privilegium.*

*) Non omnes Principum *Leges* ſunt *Privilegia* (§§. 324. ſqq.)

**) Non omnia Principum *Privilegia* ſunt *Leges.* (§§. 549. ſqq.)

***) Multa tamen ſunt, quae utriſque participant.

****) Res illuſtratur exemplis.

§. 517. Conſiderari de *Privilegiis* tria primaria capita debent; horum nempe 1) *Confirmatio*, 2) *Revocatio*, 3) *Interpretatio.*

§. 518. 1) Res *confirmationis* nonnihil altius repetenda. Primis nempe temporibus formula gubernandi *terras Eccleſiaſticas*, *Comitatus*, *Ducatus*, pependit unice a Regibus *Francis*, deinde ab Impp. *Germanicis* (Capp. VI, VII.).

§. 519. Ex hac formula *Duces*, *Comites*, *Epiſcopi* Belgae, non minus atque illorum ſubditi, Imperio erant ſubiecti. Ab utraque vero parte ad Imperium ſemper erat provocatio (§. 256 et 421.).

§. 520.

Digitized by Google

§. 520. Maieſtate Imperatoria paullatim imminutâ, ea, quae Impp. posſederant, *Dominia* in manus *Epiſcoporum*, *Ducum*, *Comitum* devenerunt (§. 244.) qui etſi nexu cum *feudali* tum *alodiali* adſtricti Imperio manebant, tamen iura *Superioritatis Territorialis* pleno iure ſibi vindicarunt, non alia ratione quam omnes *Electores*, *Duces*, *Principes*, *Comites*, per totum Imperium Germanicum (Cap. VIII.).

§. 521. Hinc magna illa *Epiſcoporum*, *Ducum*, *Comitum*, poteſtas, maieſtas, et ſummum Imperium, non *ſubditis* in illo territorio degentibus, ſed *Imperio* debitum, per omnem Germaniam Superiorem et Inferiorem latisſime ſe extendit. (§. 226.).

§. 521. Vtcumque autem magna illorum poteſtas, nunquam tamen *arbitraria* fingenda, tamquam nullis limitibus circumſcripta. (§. 312.). Quotquot exſtitere Principes, illi ſemper ad formulam Imperii fuerunt adſtricti, qua neglecta aditus ad ſumma Imperii Tribunalia Subditis patuit. (§. 255, ſq. 421.)

§. 523. Quamcumque igitur poteſtatem Principes Belgae, ex natura *Dominii* ſui, et ingentium, quae posſidebant, *Territoriorum* indole habebant; hanc ſemper annexam habuerunt conditionem, primo *tacitam*, deinde *diſertam*, et *verbis* et *literis* expresſam, ut iura eorum, qui ſibi ipſis fidelitatem iurabant, ſeque ſubiiciebant, ſarta tecta ſervarent. Omnis enim Imperii Germanici ratio in *Iurisdictione* ſemper fuit fundata. (§. 381.).

§. 524. Neque hac de re ulla quaeſtio ſanis rerum arbitris unquam esſe poteſt. Principes Germani, utcumque *abſoluti* et liberi rerum ſuarum ac *territoriorum domini*, ratione eorum, qui privata ſua bona ac iura, ipſorum in terris, habebant, non ſoluti erant Legibus Naturae, neque Gentium, neque Imperii, ſed *tacite* etiam his ſemper fuere obligati.

§. 525. Eiusmodi *tacita* Belgarum Principum obli-

Digitized by Google

obligatio, et Iurium ſubditorum confirmatio, duravit penes Belgas, ſive Germanos inferiores, usque ad Sec. XIII. vel Seculi XIV. init. (§. 695.).

§. 526. Postquam vero Principes multis Privilegiis hos illosve mactare coeperunt, invaluit apud Belgas idem, quod apud reliquos Imperii Principes, et Status; ut hi diſertam magis Privilegiorum confirmationem rogarent, et obtinerent; primo particulatim, deinde generatim; unde *laeti introitus* Principum Brabant. ſunt repetendi. (§. 544, 696. ſqq.).

§. 527. Non ſatis igitur accurate verus ſtatus Quaeſtionis a nonnullis proponitur; quaſi Principes Belgae ſervandis Privilegiis et iuribus ſubditorum propterea duntaxat esſent adſtricti, quia haec ſollemni iureiurando, rite legitimeque peracto, confirmasſent. Ad illa enim obſervanda *tacite* etiam erant obligati. (§. 690, 691.).

§. 528. Neque Principibus *Belgis*, utcumque ſumma poteſtate gaviſis, alius unquam fuit animus, quam ut haberentur *Iura* et *Leges*; quam ut valerent *Privilegia*, ſemel et rite data; quam ut *Terrae* ſuae ſtabili felicitate et proſperitate fruerentur.

§. 529. Non modo igitur deinde illa pro *ſe ſuisque ſucceſsoribus* ſemper iureiurando confirmarunt, ſed ipſi non ſemel ſtatuerunt, quid in renovatione *Tabularum* ſucceſsores obſervarent.

§. 530. Prius asſertum probant *a*) Principum ſingulorum aurea dicta, veris Principibus digna. (Cf. §. 417.)

§. 531. *b*) Iuramenta ſollemnia.

*) Horum exhibentur exempla.

§. 532. *c*) Plurimae Conſtitutiones ac Mandata egregia, quae docent,

α) Voluisſe Principes, Privilegia, Subditis concesſa, ſarta tecta ſervari, quippe non alio fine data.

§. 533.

§. 533. β) Non ſemper Principum fuiſſe culpam, ſi iura ſua et privilegia non obſervarentur.

§. 534. γ) Nunquam licuiſſe ſubditis ſibi ipſis facere iuſtitiam, et *ſuos* esſe iudices, ubi *ius* et *tribunalia* vigent, et ſuo quisque *iudice* gaudet.

§. 535. δ) Saepe propterea Principes diſertis verbis concesſisſe, ut, praeter *Tribunalia*, a minoribus *Recurſus* etiam esſet ad ipſum *Principem* ſeu ſummum Imperantem.

§. 536. Penes quos igitur ſtetit facultas *dandi* vel *negandi*, hi non cenſendi ſunt, eo animo dedisſe Privilegia, ut ſubditis ius auferrent ſuum, ſed ut feliciores ſingulos redderent, eorumque commoda promoverent.

*) Probatur hoc ex rei natura et exemplis clarisſimis.

**) Vnde iudicium ferri poteſt de contraria apud Belgas nonnullos ſententia, quaſi Principes ſemper variis in id artibus incubuerint, ut Privv., quae ipſi ſubditis dabant dederantque, infringerent, vel aperta vi palamque violarent.

§. 537. Poſterius (§. 529.), ſtatuisſe nempe Principes, quid in Privilegiis *renovandis* vel *confirmandis* a Succesſore obſervari debeat, probatur itidem exemplis.

§. 538. Si Principes ultro ac tacite ad ea obſervanda tenerentur; quaeritur, cur igitur *confirmata* ſint Privilegia?

§. 539. Variae *Confirmationis* cauſſae traduntur.

1) cauſſa. Ratione *confirmationis* iam Sec. XIV. increbruit vox, *abundans cautela non nocet.* Fiebat haec cautela a parte *impetrantis*; maior etiam fides et amor conciliabatur a parte *concedentis*.

§. 540. 2) Altera cauſſa fuit ingruens paullatim Ius civile Romanum, quod, perperam ad *ius publicum Belgic.* applicatum, anſam multis controverſiis dare coeperat.

*) Quod probatur.

Digitized by Google

§. 541. 3) Deterebantur, vel igne ſaepe ſituque conſumebantur, ipſa Privilegiorum exemplaria; quae tamen, quum *ius ſingulare* ſive exemtionem a *iure communi* complecterentur; (quod ius nunquam praeſumitur) hinc ipſae exhiberi Literae debebant, ſi valeret ius. Vnde multae confirmationes!

§. 542. 4) Principes ſaepe vario reſpectu, vel tamquam *Tutores* (*Ruwaarden*), vel heredes proximi (*verbeiders*), vel *vicarii* titulo, vel *in commune*, vel in *ſpem* tantum *futuri*, nonnulla *Privilegia* his illisve concedebant, quae a *ſucceſſore* confirmari et rata haberi, ſubditorum quammaxime intererat.

§ 543. 5) In turbis inter *heredes* ob ſucceſſionem obortis ſaepe multa *Privilegia* variis artibus impetrabantur, quorum vel *confirmatio* vel *abrogatio* certi omnino iuris in poſterum eſſe debebat. (§. 585.)

§. 544. Invaleſcebat tandem paullatim, per totam fere Europam, atque adeo per nonnullas *Belgii* partes, conſuetudo, ut Principes, *iure hereditario* in bona et imperia paterna ſuccedentes, maximis ſollemnitatibus, festivitatibus, et populi acclamationibus, ſub *laeti Introitus* nomine publice reciperentur, inaugurarentur, ac gubernationem ſusciperent; quam occaſionem *Subditi*, ſive privatim, ſive *Ordines* publice, captabant, ut novas quasdam gratioſas conceſſiones ſive Immunitates a Principe Succeſſore adipiſcerentur; cuiusmodi novae *Conceſſiones*, iuxta atque anteriorum iurium Confirmationes, ſub hoc *laeti introitus* nomine tunc ſimul conſtituebantur, et ratae eſſe iubebantur.

Haec de Confirmatione!

§. 545. 2) Sequitur *Privilegiorum Revocatio*.

De Privilegiis, ſemel conceſſis, an, et quatenus, Revocatio obtineat, ſaepe ingens lis est agitata.

§. 546. Habetur apud MIER. *Charterboek* D. III. bl. 407. *Conſultatio*, *an Princeps Privilegia Civitati-*

tatibus IN PERPETVVM *conceſſa revocare poſſit.*

*) Huius auctor, qui ſec. XIV. ſcripſit, et PHILIPPVS DE LEIDIS vulgo habetur, hanc *publici* iuris quaeſtionem rara methodo ex iure privato Roman. decidere conatur, et pro affirmante ſtat ſententia.

§ 547. Exhibentur Argumenta, quae a VV. DD. proferuntur militantia pro *Privilegiorum revocatione.*

§. 548. Exhibentur itidem, quae contra *Privv. revocationem* proferuntur.

§. 549. Vtraque ſententia, nimis generaliter propoſita, falſi convincitur. Obſervanda et diſtinguenda in his ſunt multa; imprimis diſtinctio inter Privilegia 1) *gratioſa* et 2) *conventionalia.*

§. 550. 1) *Gratioſa* vocantur, quae ex mera Principis gratia, voluntate, et bene placito, profluunt, tamquam terrae ſuae utilia.

§. 551. Ad *gratioſas* eiusmodi Principum conceſſiones referuntur,

a) *Immunitates* a teloneis, vectigalibus, tributis, aliisque Contributionibus.

§. 552. *b*) Conceſſiones *Mercatuum*, *Nundinarum*, aliorumque eiusmodi iurium minorum, quae mercaturam, opificia, aliave id genus munia promoveant.

§. 553. *c*) Immunitates illae, quae in conceſſis Tributis vel Petitionibus Vrbibus maioribus dabantur, ſub vulgari nomine *de gewone gratien* (§. 957. ſq.).

§. 554. *d*) Conceſſiones, per quas Principes Vrbibus aliisque Collegiis maioribus permittebant, ut ab incolis *acciſas*, *vectigalia*, aliave *tributa* exigerent, vel *tributum praediale* (*morgengeld*) vel ſimilia agris imponerent (§§. 977 — 983).

§. 555. *e*) Generatim, quidquid vulgo ſub nomine *Octrooien* of *Vergunningen* a ſummo Imperante Terrae Incolis conceditur; quarum Conceſſionum

 tot

Digitized by Google

tot fere ſpecies occurrunt, quot rerum et actionum ſunt genera

§. 556. *f*) Conſtitutiones *Magiſtratuum*, eorumque *Collegiorum*, nec non reliquorum Principis *Officialium* ac *Miniſtrorum*, qui vice Principis et nomine funguntur (§. 382. ſqq.) cuiusmodi ſunt omnes eius *Gubernatores*, *Conſiliarii*, *Balivi*, *Sculteti*, qui non modo Principis morte ceſſabant omnes, (§. 366. ſq.), ſed ex *Lege Commiſſoria* conſtituebantur et deſtituebantur (§. 367.), dato etiam aliis iure vel privilegio hos *conſtituendi* et *deſtituendi*.

§. 557. *g*) Denique imprimis huc ſpectabant, quae Principes in *laeto ſuo Introitu*, postquam anteriorum Principum iura et Privilegia confirmasſent, denuo gratioſe incolis vel ſeparatim, vel urbibus, vel Ordinibus in genere, concedebant.

§. 558. In his tamen adhibenda est cautela. Multa enim ex hactenus generatim exhibitis paullatim naturam ſuam immutarunt. E. g. Nonnulla Munia Officialium et Miniſtrorum (omnes enim Magiſtratus eſſe Principis, et eius vice, non vero *iure proprio*, fungi, ſupra docemur §. 382. *ſqq.*) natura ſua antiquitus regulariter ad nutum Principis erant revocabilia, utpote ex *Commisſione* delata.

*) Cuiusmodi, in minoribus etiam Dynastiis, multi a Dynasta, quamdiu vivit, conſtituti vel ab aliis ſubſtituti.

§. 559. Multa tamen ex his, imprimis *Sculteta-tus* et *Balivatus*, ex Principum Privv. ad certos *annos*, vel *ad vitam*, ſive *perpetuo*, concedi coeperunt.

*) Quod imprimis ſec. XIV. invaluiſſe, probatur.

§. 560. Immo haec munia paullatim *locari*, et *pecunia data* conferri coeperunt; quae titulo oneroſo quaeſita tunc naturam immutabant, et donec refunderetur impenſa pecunia, in *Contractus* ſpeciem abierunt.

§. 561.

§. 561. Huiusmodi *locationes* poſtea tam frequentes evaſerunt, et harum *abuſus* tantopere crevit, ut ipſi ſubditi, quibus eiusmodi *locatio* maxime arriſerat, tolli hos abuſus iam inveteratos a Principibus rogaverint.

*) Quod plurimis probatur exemplis.

§. 562. Accesſit *locationi* ſaepe munerum *oppigneratio* vel *venditio*, quae hinc veram *Contractus* naturam inducbant, adeoque ex *Gratioſis* in *Pactitia* ſive *Conventionalia* deflectebant.

§. 563. Idem de reliquis dicendum; unde prono amne haec Regula derivatur: *gratioſa* eiusmodi Privv. quamdiu *pacti* naturam haud induunt, ſemper manent *gratioſa*, eaque tamdiu valent, quamdiu terrae *utilitati* et *publicis* commodis haud obſiſtunt; quum publica ſemper privatis praeferri oportere, ſana ratio iubeat.

*) Exhibentur exempla eiusmodi Privilegiorum vel tacite vel diſerte revocatorum, quae ex terrae utilitate amplius ſubſiſtere non posſent.

§. 564. Si per ſpecies *Gratioſorum* eamus, alia erit diviſio in ea, *a*) quae *in perpetuum* conceduntur, vel *pro ſe et ſucces ſoribus*.

*) De his nulla quaeſtio, Principes ea voluisſe rata haberi, pro ſe et ſucces ſoribus.

§. 565. *b*) Quae *ad beneplacitum* ſive ad *revocationem* conceduntur, vulgo *tot wederzeggen*, *of wederroepen*. Quod trifariam obtinet, vel generatim, *tot wederzeggen*, vel expresſe *tot onzen wederzeggen*; vel *tot wederzeggen van ons en onze nakomelingen*.

§. 566. Disquiritur, quaenam in adiectis his verbis ſit differentia admittenda? Numqua ex his morte donatoris exſtinguantur? Quaenam ex his *tacite* revocentur; quaenam expresſe?

*) Exhibentur exempla *tacitae* revocationis; alia *expresſae*; alia denique, quae *ad beneplacitum* concesſa poſtea Princeps ex certa ſcientia *in perpetua* mutaverit.

Digitized by Google

§. 567. Huc referuntur quoque, quae data ſunt reſervato *iure augendi* vel *minuendi.*

§. 568. *c*) Quae ad conſtitutum quoddam *tempus* conceduntur.

*) Eiusmodi conceſſionum multa etiam proſtant exempla.
Dabantur *ad terminum duratura.*
Ad dimidium anni vel *integrum annum durantia.*
Ad annos tres; duodecim, etc.
Dum regimen vel *tutela duraret.*
Donec Princeps annum 25. *aetatis attingeret.* ———

§. 569. *d*) Ad *actum* quemdam vel ad peculiares quasdam causſas.

*) Huiusmodi multa ſunt exempla; quo referri quodammodo posſunt, quae *ſub conditione*, *ſine qua non.*

§. 570. *e*) Ad *perſonam* relata, quae vulgo *perſonalia* vocantur, et cum *perſona* exſtinguuntur.

§. 571. Excipiuntur tamen nonnulla, quae ad *heredes* etiam extenduntur.

§. 572. 2) Alterum genus Privilegiorum vocantur *Conventionalia* ſive *Pactitia*, quae ex *conventione* vel *titulo oneroſo* quaeſita, concedentem et eius ſucceſſores obligant, utpote quibus Princeps, tamquam privatus, *Contractum* inire intelligatur, qui utrimque ſervandus. Huc referuntur:

§. 573. *a*) Privilegia *remuneratoria*, quae in vim *praemii*, vel in *meritorum* compenſationem conceduntur.

§. 574. *b*) Quae *pecunia* aliove titulo oneroſo acquiruntur; ea enim non minus *Contractus* naturam induunt.

§. 575. Huc ſpectant multorum munerum collationes, iura patronatus, et ſimilia, a Principe vel privatis vel integris collegiis, vel urbibus, *pretio* convento ſolutoque, conceſſa.

§. 576. Multae Dynastiae atque Toparchiae aliis

in

Digitized by Google

In proprium datae poſſidendae, iis cum iuribus, quae in *Privilegii* Chartis exprimuntur.

§. 577. Multae Dynastiae, Toparchiae, Balivia, aliaque iura numerata pecunia *in feudum* conceſſa.

§. 578. Non omnes tamen *expenſae*, vel *pecuniae* ſolutio, Privilegia efficiunt *emta*.

*) Quaenam *expenſae* vere ſint tales, exemplis docetur.

§. 579. *c*) Quidquid Privilegiorum *locati* nomine venit (§. 560. ſqq.).

*) Multa hoc modo *privatis* vel *collegiis* vel *urbibus* bona, iura, decimae, ſunt locata.

**) Quod probatur exemplis.

§. 580. *d*) Quidquid ex *oppigneratione* utendum fruendum conceditur, quamdiu id non reluitur.

§. 581. Hac interiecta inter Privilegia *gratioſa* et *conventionalia* ſubditis conceſſa diſtinctione, facile nunc ſtatui de *iure revocationis* poteſt.

§. 582. In *iure* tamen *revocandi*, quatenus id Principi liceat, obſervandum eſt, non hic agi de Principe, qui quaevis revocabilia pro *lubitu* et pro *arbitrio* revocet. Principis poteſtas ſemper intra iuſtitiae cancellos concluditur; et aeque parum pro lubitu *Privilegia* revocare poteſt, ac *Leges*, quas in terrae ſuae utilitatem condidit, temere et ſine cauſſa revocat.

§. 583. Ad hanc regulam ſi Principum Belgarum acta exigamus, haec tria ab illis praeſtita deprehendimus.

α) Quod priſtina *iura* et *privilegia* a Deceſſoribus ſuis iam confirmata, ipſi confirmare nunquam detrectaverint.

β) Quod *Privilegia*, ab ultimo Deceſſore data, nunquam niſi post iustum rei examen, ſi res postularet, confirmarint, (§. 542, 543.).

γ) Quod post inchoatum regimen, ſi qua de Privv. quaeſtio oriretur, cauſſam fere ſemper deciden-

 dam

Digitized by Google

dam mandaverint Curiis Provincialibus. De ſingulis ſeparatim.

§. 584. α) Principes Belgae nulla interrupta ſerie ea Maiorum ſuorum *Privilegia*, quae Deceſſores ſui rata iam antea habuerant, prima aetate *tacite*, deinde *verbis expreſſis*, vel per *literas reverſales*, ſemper confirmarunt, ac iureiurando deinde ſollemni ſanciverunt (§. 523 — 529.). Neque aliquod in contrarium exemplum cognitum mihi hactenus est.

§. 585. β) Alia res fuit in iis, quae ſub ultimo decedente Principe erant conceſſa. Priora (§. 584.) ex ſollemni Deceſſoris confirmatione rata erant. In poſterioribus, ſub ultimo regimine multi ſaepe naevi et gubernationis vitia irrepſerant, quae tollere vel emendare, omnino penes Imperantem erat.

§. 586. Hinc novus heres, praeter anteriorum Privilegiorum confirmationem, (§. 584.) imprimis poſt turbarum plena tempora, plerumque haec duo feciſſe reperitur:

a) Privilegia ab eiusmodi Deceſſore data, vel confirmabatomnia, vel ea tacite vel diſerte abolebat, vel nonnulla excipiebat.

b) Subditis, nova gratioſa rogantibus, ea quae ex terrae uſu eſſe putabat, denuo indulgebat; unde *laeti introitus* nomine haec poſtea venerunt.

§. 587. Haec agendi ratio pependit ex communi Iuris German. norma, quae duas haſce regulas continet. Prior haec est:

„ Nunquam poteſt Princeps ea revocare Privilegia, quae olim data ſui Deceſſores revocare non potuiſſent. " Hinc omnis fere quaeſtio ſpectat et recidit in ea Privv., quae a deceſſore erant conceſſa (§. 542. ſq. et 585.).

§. 588. Altera : „ Succeſſor Deceſſoris facta, ſi quid male adminiſtraverit dederitque, non ſolum implere non tenetur, ſed et eorum auctores ex merito punit".

*) Pro-

*) Probantur exemplis. Ingens eſt numerus Privilegiorum, quae quidem dederat MARGARETA Hollandiae Princeps, ſed quae WILHELMVS V. filius, rerum ſummam adeptus, revocavit irritaque declaravit, vel tacite in Confirmatione praetermiſit; uti iam ante me egregie docuit Vir Ampl. VAN DE WALL *Handv. van Dordr.* bl. 200. ſqq. cf. MIERIS *Charterb* D. II. bl. 836-841.

Non confirmavit IACOBA Princeps nec PHILIPPVS *Bonus* ea, quae IOHANNES *Bavarus* in ſpem futuri dederat Privilegia, ſed tantum ea, quae WILHELMVS VI. IACOBAE pater, conceſſerat, etiam venia iis indulta, qui illa impetraverant.

Neque confirmavit idem PHILIPPVS Privilegia, ante reconciliationem cum *Iacoba* conceſſa. Vid. BOEI *Oudhed. van 't Hof* bl. 72-76, 240. — cett.

§. 589. γ) Tertium erat, quod Principes, poſt ſollemnem confirmationem, ſi qua controverſia de *Privilegiis* eorumve *interpretatione* verteretur, plerumque *Curiis Provincialibus* vel *Tribunalibus maioribus* hanc decidendam mandarent (§. 583. n. γ.) Quod pertinet ad *Interpretationem*.

§. 590. 3) Vti *Legum*, ſic *Privilegiorum* interpretatio (§. 517.) eſt penes ſummum Imperantem.

§. 591. Variae ſunt *Interpretationis* ſpecies, et quaenam hic intelligenda?

§. 592. Ius *interpretandi* ſemper ſibi reſervarunt Principes, neque unquam cum *Ordinibus* communicarunt, mandata rei cura Tribunalibus ſive *Curiis* ſuis.

*) Vid. *Inſtruct. Curiae Holl.* a. 1531. §. 8.

§. 593. Habebant ſubditi ius gravamina proponendi (§. 726.).

§. 594. Nemo tamen ſui iudex, ubi tribunalia vigent, nec iuſtitia denegatur (§. 413, 421.).

§. 595. Laxa ſaepe nimis Privilegiorum vel Iurium interpretatio multas creavit moleſtias.

*) Dantur exempla.

Digitized by Google

§. 596. An exhibitio eorum, ad quae provocatur, Privilegiorum in re dubia vel controverſa a Subditis negari potuerit, ex hiſtoria explicatur.

§. 597. In omni Privv. *Interpretatione* nonnullae regulariter inſunt *Clauſulae*, ſive tacite ſive expreſſe.

§. 598. 1ª. Clauſula. Intelliguntur Privilegia data, *ſalvo iure tertii.* Quum enim ſint *exceptiones* a lege patriae communi, quam omnibus ſtatuit Princeps; hinc illa ſine praeiudicio et diminutione *iuris quaeſiti* alieni conceſſa cenſentur. Quod ius ſi tollant, nunquam a bono Principe vel eius ſucceſſore rata haberi potuerunt.

§. 599. Ex hac *laeſione tertii* ſaepe acerrimae controverſiae inter *urbes* aliosve ex Privilegiis exortae. Sedebant tunc *Iudices* vel *Arbitri* Terrae Domini, vel cauſſam cognoſcendam dabant *Iudiciis* ſeu Tribunalibus, vel eam *arbitrio* bonorum virorum, pro more iſtius temporis, demandabant.

*) Hinc tot Iudicia, ſive ſententiae (*ſententien van den Hove van Holl.*, *van den Hoogen Rade van Mechelen*; *van den Secreten Rade*). Tot etiam *Lauda* ſive *Arbitria*; *Uitſpraken of ſcheidingen van goede mannen*, *van zegsmannen*, *van Commiſſariſſen*, cett.

**) Probatur res exemplis magni momenti.

§. 600. Quo magis autem Reſpublica floruit, et negotia per mercaturam et opificia multiplicabantur; eo frequentiores hoc genus controverſiae ex Privilegiorum, Iurium, et Statutorum conflictu. — *Iura Monopolii*, *Stapulae*, *Geranii*, *Nundinarum*; *collegia*; *opificia*; *tributi immunitates*, et ſexcenta ſimilia ferax controverſiarum de *Privilegiis* et *Iuribus* inter ſe oppoſitis, aliosve laedentibus, ſeges atque materia.

§. 601. 2ª. Clauſula. *Ne quid fraudis inſit.* Vocantur vulgo *ſub- et obrepticio modo* impetrata. Alia voce, *ſi preces veritate nitantur.*

§. 602.

§. 602. Istiusmodi Privilegia, nec rata unquam a Principe haberi potuiſſe, ſed etiam puniendos eſſe auctores, qui Principes fraude circumveniant, conſtans est doctrina.

*) Dantur huius generis exempla inſignia.

§. 603. Hinc explicanda tot Principum *Reſcripta*, tot *Mandata* ad *Curias* ſuas miſſa; per quae ipſis Curiis a Principe ſaepe iniunctum est, ut ne obedirent iis, quae mittat, Edictis, ſine examine; eoque in caſu *Principem* moneant (§. 654. ſq.).

§. 604. 3ª. Clauſula. *Rebus ſic ſtantibus.* Mutantur tempora et homines in illis. In omni autem Privilegio tacite ſemper reſpicitur ad conditionem *temporum*, *hominum*, *locorum*, *rerum* ——

§. 605. Temporum lapſu Reipublicae ſaepe *noxia* fiunt Privilegia, quae antea *utilia* atque proficua.

§. 606. Quae ex mutato rerum ſtatu ſint Principis partes, ratione publicae utilitatis?

§. 607. Hinc rogantibus ipſis ſubditis multa vel renovata vel explicata, quae labente tempore obſcura vel intellectu difficilia, vel immutata fuerant.

§. 608. Ipſae urbes aliaque collegia hinc interdum tacite a Privilegiis reſilierunt, vel Principem, noxia ut aboleret, rogarunt..

§. 609. Multae hinc paullatim introductae novae vel contrariae *Conſuetudines* (*Costumen* en *Uſantien*) quae, quamdiu *laudabiles*, a Principibus tacite ſunt toleratae, vel approbatae; ſin minus, reiectae.

§. 610. Rogarunt nonnunquam ipſi Ordines, ut Princeps varias diverſorum *Conſuetudines*, *Iura*, et *Vſus*, in ſcripturam redigi iuberet; quae iccirco ſaepe ſunt expetita, ſaepe exhibita, et examini ſubiecta.

§. 611. Non omnes *Conſuetudines* ſunt laudabiles, ſed multae etiam *corruptelae* vel *abuſus*.

*) Quae

*) Quae illorum requiſita?

**) Quid de his ſtatutum in *Inſtructione Curiae Holl.* a Principe praeſcripta a. 1531. et in *Ordinat. Criminal.* a 1570.

§. 612. Non iccirco confirmabantur generatim omnes *Conſuetudines*, ſed tantum eae, quae vere tales.

*) Vernac. *alle loffelyke en wellhetbrachte Costumen, en oude herkomens.*

§. 613. Harum rerum cura et inſpectio ſemper est Summi Imperantis; manſitque hoc ius Principibus ſalvum; et quaerelae ſemper permisſae.

§. 614. 4ª. Clauſula. *Niſi in poenam.* Ius ſubditis quaeſitum auferri non poteſt, niſi id fiat *in poenam.*

*) Vt bene meritos beneficiis recte cumulari, ſic male de Rep. meritos iure coërceri et plecti, ſumma docet ratio.

§. 615. Dupliciter hoc fieri poterat, vel *ante vel post* receptum Principem.

Ante receptum *Principem* quicumque ſubditi, oppida, collegia, *homagium* praeſtare novo heredi recuſabant (§. 689.), hi tamquam *rebelles* puniebantur, ſive *vitae bonorumque* iactura, ſive *exilio*, ſive *Privilegiorum* amisſione (§. 401. ſqq). Quae durisſima imprimis conditio locum habebat, ubi turbae inter ipſos Principes ob ſucceſsionem in bona ac terras defuncti esſent obortae (§. 471. ſqq.).

§ 616. Post receptum *Homagium rebelliones* ac *ſeditiones*, quae publicam turbabant quietem, praeter alias poenas, ſive maiores ſive minores, puniebantur etiam *publicatione* ſive *amisſione Privilegiorum* (§. 401.)

§. 617. Fiebat hoc plerumque, cauſſa ab Iudicibus prius cognita; interdum haec cognitio ex communi conſenſu arbitris mandata; interdum ſubmisſa Principis benignitati, vel *gratiae*, vulgo *'s Graven of 's Heeren genade.*

*) Exhibentur gravisſima rei exempla.

§. 618.

Digitized by Google

§. 618. *Privilegia*, ſic amisſa, nonnunquam ex Principis benevolentia, vel penitus, vel ex parte, reſtituta reperiuntur; alioqui nova his iura praeſcripta, vel ad communem Patriae legem revocata.

§. 619 Supereſt 5ª Clauſula. *Reſervato ſemper iure Supremi Dominii.*

*) Quod quomodo intelligendum, et qui ſint *limites Dominii*, vel, ut alii hodie loqui malunt, *Imperii eminentis*?

§. 620. Principes, diſertis etiam verbis, hoc ſibi ius in Privilegiis concedendis reſervarunt.

*) Variae exhibentur *formulae*.

**) Quae vis ſit harum formularum, et quid Princeps posſit *ex plenitudine*, quam vocant, *poteſtatis*?

§. 621. Quemadmodum Leges communes ſemper intelliguntur *ſalvis privatis Privilegiis*; ita *Privilegia* intelliguntur *ſalva ſalute populi*, ſive *publica terrae utilitate*, quae *ſuprema ſemper Lex* eſt.

*) Vnde intelligenda et diiudicanda ſollemnis illa, hodieque etiam, Libera Republica, uſitata formula, *niettegenſtaande alle andere Wetten, Privilegien, Coſtumen, Ordinantien, des contrarie.*

§. 622. Nunquam Principes, ne exquiſitisſimis quidem Privilegiis, intelliguntur de *iure ſummi Imperantis* reſiliisſe, vel aliam regiminis formam introduxisſe, niſi de eo diſerte conſtet.

§. 623. Hinc omnia Privilegia, utcumque ampla, laxa, gratioſa, hanc tacitam ſemper annexam habuere clauſulam, *manente ſummo iure Principis*, vel *ſalvo iure ſummo Imperantis*; niſi ex ipſis Privilegii verbis, vel aliis Actis, de mente Principis vel volentis vel permittentis aliter conſtet.

§. 624. Vnde ſequitur, (cf. §. 387.) Principes, quidquid *iurium* vel *iurisdictionis* cum *criminalis* tum *civilis* aliis permiſerunt, mandarunt, dederunt, illud nunquam dedisſe *abdicative*.

*) Hinc

*) Hinc multa hactenus Cimmeriis tenebris involuta pateſcunt, et quae de *Principum uſurpatione* vulgo feruntur, explicari facile posſunt.

§. 625. Hactenus de privatis *Privilegiis!* Confunduntur cum his ſaepe *Leges Fundamentales.*

*) Vera praedicatur VLR. HVBERI ſententia, *nihil audimus iactari frequentius, nihil videmus intelligi rarius, quam Leges fundamentales.*

§. 626. Denturne *Leges Fundamentales*, abſurda est quaeſtio. Nemo hoc negat.

§. 627. Spectant hae ad nexum inter *Imperantem* et *Subditos*; non vero ad ius *concedendi Privilegia.* Quaenam ſint illae?

§. 628. An recte VLR HVBERO Viro Conſult. dicatur, *Privilegia, ſive iura liberaliter et ex gratia Principum indulta, vim legum Fundamentalium non habere*

§. 629 An itidem recte illi dicatur, *Conventiones*, non cum toto populo, verum certis hominum ordinibus, initas, pro *fundamentalibus* minime habendas esſe.

§. 630. An recte eidem Viro dicatur, *fundamentalia pacta*, ſive tacita ſive expresſa, non tollere neque minuere ſummam Principis potestatem?

C A P V T X I V.

De origine, iure, et auctoritate Ordinum ſive Statuum Provincialium Belgii ſub Principibus.

§. 631. Multi mortales res praeteritas ex praeſentibus dimetiri ſolent, et vice converſa.

*) *Transporter dans des Siecles reculés toutes les idées du ſiecle où*

où l'on vit, c'est des ſources de l'erreur celle qui est la plus féconde, recte Vir Ill. MONTESQUIEU *l'Eſpr. des Loix* L. XXX. C. 14. f.

§. 632. Antequam origo Ordinum, corpus quoddam ſive Collegium formantium (§. 723. cf. 932.) exponitur: primo loco nonnulla diſtinguenda veniunt; deinde verus ſtatus Quaeſtionis erit proponendus. Et primo de *Hollandia.*

§. 633. Neglectae hactenus diſtinctiones, quae anſam multiplici dederunt errori, ad haec *quinque* Capita redeunt.

§. 634. 1ª. Diſtinctio. Non diſtinxerunt hactenus Noſtrates *ſollemnes* eos *Conventus*, quos Principes, poſtea temporis 1) ob communem terrae utilitatem, interdum, ſuo impulſu, convocabant, ut, auditis variarum partium opinionibus, id quod ex uſu terrae ſuae foret, determinarent, vel *ſubſidia*, et *auxilia* (§. 932. ſqq.) hos rogarent; et inter eos *Conventus*, quos *Nobiles* et *Vrbes*, ſeparatim vel coniunctim, ſive ad acceleranda publica negotia, ſive ad perficienda, quae in ſollemni *Conventu* iuſſerat Princeps, ſive ad res privatas atque domeſticas promovendas, permiſſu Principum inſtituebant.

1) Ante ſec. XV. *Ordinum* nomen in Hollandia fuit incognitum.

*) Probatur manifeſtum hoc diſcrimen ex actis authenticis et teſtimoniis.

**) Demonſtratur ingens huius obſervationis utilitas, et multi hinc profligandi errores.

§. 635. 2ª. Diſtinctio. Non animadverterunt Noſtrates, haec *Ordinum Comitia*, ſive *Conventus*, cum maiores tum minores, ubicumque publica exigente utilitate convenirent, nunquam proprio marte coiiſſe, ſed

a) Vocatos fuiſſe a Principe, vel eius Curia, iuſſu Principis (§. 636.).

b) Co-

b) Coiisſe coram Principe vel eius Gubernatore ſeu Curia, ut deliberaretur (§. 637.).

c) Auditis ſententiis, rerum gerendarum determinationem penes ſolum ſtetisſe Principem (§. 638.).

§. 636. *a*) Probatur, ſas non fuisſe *Ordinibus* ſive Statibus Provincialibus habere Comitia de ſumma Republica, niſi a *Principe* eiusve *Conſiliariis* ſ. Curia ad haec ſpecialiter convocatis.

§. 637. *b*) Probatur, hos ita vocatos coiisſe coram *Principe*, vel Principis *Gubernatore*, vel coram *Curia* olim *Hollandica* (*de Raad van Holland, geſteld ter zake van 's Lands Regering*), vel coram eius *Commisſariis*, ab iisque ſententiam in rebus dubiis esſe rogatos.

§. 638. *c*) Probatur, hanc convocationem a ſolo pependisſe *Principe*, ita ut nulla lex extſtet, quae vel *locum*, vel *tempus*, reliquave *iura* determinet; vocatos autem renuere, vel pro arbitrio discedere, non potuisſe.

*) Ex his hactenus haud obſervatis, vel obſuſcatis, multi errores in nostra Hiſtoria commisſi et corrigendi.

§. 639. 3ª. Diſtinctio. Vbicumque mentio occurrit *Nobilium* et *Vrbium*, qui Principem vel ſtudio vel ope adiuverint, vel ab eo conſulti ſint, illic multi, *Ordines Provinciales* ſtatim invenisſe, ſibi viſi ſunt. Alii, vocis praeiudicio abrepti, ſi quando memorantur *Comitia* (Belg. *Dagvaarden*, vel *Ridderſchap*, vel *Overdrachten by Raad, Ridderſchap, en Steden*; illic continuo vel illos ſibi repraeſentant *Ordines*, quales hodie tamquam ſummum Imperantem veneramur; vel eos certe, qui in Co-imperium fuerint admisſi, ac *ſummi Imperii* participes habiti ſint.

*) Hic error latisſime ſparſus multis aliis erroribus anſam dedit.

§. 640. 4ª. Diſtinctio. Crasſior etiam eorum est error, qui ipſum Principum *Concilium*, ſive *Curiam Hollandicam*, et eius *Conſiliarios* ac terrae *Gubernato*-

to-

torem perpetuo confundunt cum *Ordinum* collegio (§. 712.)

§. 641. Probatur inſignis et maximi momenti differentia inter *Concilium Hollandiae* vel *Curiam Hollandicam*, quae *Principem* repraeſentabat, (*de Raad van Holland*, of *onzen Rade, dien wy onzen Lande van Holland bevolen hebben te regeren*, of, *de Rade gemachtigd van myns genadigen Heeren wege ter zaken zyner Landen van Holland*, etc. §. 415.), et inter *Ordines* Hollandiae *Provinciales*, qui *ſubditos* repraeſentabant. (§. 724.)

*) Itur exemplis ex omni aevo deſumtis per Principes ex Domo *a*) *Hollandica*, *b*) *Hannonia*, *c*) *Bavara*, *d*) *Burgundica*, et *e*) *Auſtriaca*.

**) Docetur porro, quae et qualis illa Principis *Curia*, eiusque mutationes, fuerint per ſingulas Principum ſtirpes, et ante et poſt ſic dictum *Ordinum collegium*. Imprimis quomodo res publici regiminis ſeſe habuerit tempore *Caroli* V. et *Philippi* II.

***) Quam ingens hinc in Belgica, imprimis *Hollandica*, hiſtoria confuſio enaſci debuerit et enata ſit, ſponte apparet.

§. 642. 5ª. denique Diſtinctio. Vbicumque occurrunt *Nobiles* vel *Vrbes* Principis Deliberationibus, Edictis, Decretis, Mandatis adſiſtentes, ſiquando tamquam *a*) *testes* (§. 643.) vel *b*) *fideiusſores* (§. 644.) eius actis intererant, vel in Iudiciis *c*) *Arbitri* electi (§. 645.) et tamquam tales, cum *Principe* eiusque *Curia*, ſententias pronunciabant: ſtatim hic multi ſibi *Ordines* fingunt, regiminis terrarum participes (*als Leden van 's Lands Regering*).

§. 643. *a*) Probatur, Principes, praeter *Conſiliarios* ſive *Commune Concilium* ſuum, ſaepe etiam *Testes* adhibuisſe *Nobiles*, vel nonnullas *Vrbes*, ſive ſeparatim, ſive coniunctim; quos adesſe iubebant, ut pactis vel actis ſubſcriberent, eave rata haberent.

§. 644. *b*) Probatur, eosdem ſaepiſſime *Fideiusſores* in rebus magni momenti adhibitos.

Digitized by Google

§. 645. c) Probatur, illos ſaepe *Arbitros* eſſe captos, eorumque arbitrio ſe ſubmiſiſſe vel *ſubditos*, vel *extraneos*, immo etiam ipſos *Principes*, imprimis ubi ortae quaeſtiones de rebus *Principum* privatis, vel contentiones in ipſa Principum familia.

§. 646. Probatur, eſſe etiam compromiſſum in *arbitros extraneos*. Quibus omnibus maieſtas Principis non laeditur, ſed *fides* eius et *prudentia* probantur.

§. 647. Ingens hinc praeiudicatarum opinionum acies profliganda quidem venit; quod ut fiat, *verus ſtatus Quaeſtionis* eſt figendus, primo *negando*, deinde *affirmando*.

§. 648. Negando! 1) Non hic quaeſtio eſt *de utili!* Nimirum non quaeritur, conduxeritne Principibus, ſpeciatim *Hollandis*, ut, praeter *Conſiliarios* ſuos, etiam *Subditorum* conſilia ſaepe expeterent, eumque in finem *Ordines Provv.* coire iuberent?

*) Prudentia et laus Principum, qui, quum omnia noſſe ſoli non poſſint, rerum gnaros adhibeant. Laudatiſſimus hac in parte fuit PHILIPPVS *Burgund.* qui *patriae Pater*, in ſcriptis etiam ſeculi XVI., iccirco vocatur.

**) Probatur exemplis innumeris, hoc factum ſaepiſſime in re agraria, frumentaria, piſcatoria, mercatoria, aliisque permultis magni momenti negotiis. Nec aliter ſaepe rerum momenta expendi vel inveſtigari poſſunt.

***) Convocabantur hinc ſaepe duntaxat illi, quorum vel maxime intererat; etiam *Collegia Heemradiorum*, *Mercatorum*, *Piſcatorum*, *Opiſicum*, cett.

§. 649. Neque 2) loco quaeſtio eſt *de facto Principum!* Non quaeritur, utrum *Principes*, ſeriori imprimis aetate, creſcente rerum mole, *Nobiles* et *Vrbes*, ſive privatim, ſive ſub *Ordinum* nomine, congregaverint, cum iisque de rebus gravioris momenti conſultaverint, eorumve conſilia, auxilia, immo conſenſum, expetiverint, et ita multa iuſſerint decreverintque.

*) Hoc

*) Hoc eos feciſſe, et tamquam bonos prudenteſque feciſſe Principes, multa Documenta loquuntur.

§. 650. Immo vero nolebant interdum Principes, ut *Curia* ſua, cui terrae regimen erat commiſſum (§. 415. 641.), quaedam maioris momenti negotia perageret, *inconſultis* his illisve *Nobilibus* vel *Vrbibus.*

*) Probatur exemplis.

§. 651. 3). Non eſt quaeſtio, *de facto Populi* ſive *Ordinum!* Nimirum non quaeritur, numquid *Subditi*. *Nobiles*, *Vrbes*. *Magiſtratus*, *Officiarii*, immo *Ordinum Provv. Collegium*, his illisve temporum circumſtantiis, rebus turbatis, Principibusve ipſis de terrarum ſuarum hereditate inter ſeſe litigantibus, interdum patraverint, quod vel *a*) contra maieſtatem Principis tenderet; vel *b*) quod ad tempus duntaxat eſſet valiturum; immo vero *c*) num ipſi Principes interdum, maioris ſecuritatis gratia, (ne iura ſua a *Tutoribus*, aliiſve Terrae *Praefectis* imminuerentur, vel damna paterentur) ut Conſilium ſeu *Vrbium* ſeu *Nobilium*, ſive *utriusque Ordinis*, in nonnullis expeteretur. a Curia ſua postulaverint, ſtipulati ſint, vel mandaverint.

§. 652. *a*) Probatur ex documentis hiſtoricis et actis publicis, eſſe multa ſub Principibus patrata, quae contra Principis maieſtatem tendere viderentur; ſed multa etiam, ubi ſtrenui adeſſent Principes, vindicata.

§. 653. *b*) Probatur variis exemplis, permulta, abſente vel mortuo Principe, vel exorta inter heredes proximos controverſia, eſſe agitata, quae ad tempus valuerunt.

§. 654. *c*) Ipſi Principes maioris ſaepe ſecuritatis ergo ab iis, quos terris ſuis cum Imperio praeficiebant, ſtipulati ſunt, ut ne quid maioris momenti peragerent, niſi adhibito *Nobilium*, *Vrbium*, vel *Ordinum* conſilio vel conſenſu (§. 650.).

*) Quae cautio temporaria multum diſtat a Pacto cum ipſis *Ordinibus* vel *ſubditis* inito.

**) Huiusmodi cautiones temporariae multis probantur exemplis ex omni aevo deſumtis.

§. 655. *d*) Caverunt etiam, et *Curiam* ſaepe ſuam obſtrinxerunt, ut, ſi qua ipſi, male perſuaſi, iniuste mandasſent, Conſiliarii ipſos monerent, neve interim parerent (§. 603.).

*) Probatur res exemplis PHILIPPI *Burgundi*, cognomento *boni*. — —

§. 656. Affirmando! Proponitur *Status quaeſtionis*. Qui quidem ad tria redit Capita; quorum 1um. hoc est. Quaeritur, utrum *Nobiles* et *Vrbes*, ſive *Ordines*, postea exorti et in Corpus quoddam coaliti, ius habuerint *Comitia* cogendi, ac conveniendi iniusſu Principis, immo invito Principe? an exſpectandum fuerit, donec Principi eos convocare, cum iisque de Rep. conſultare, libuerit?

§. 657. 2°. Vtrum *Comitia*, ſic ſollemniter indicta et congregata, ius habuerint *decernendi*, *ſtatuendi*, *iubendi*, ſive absque Principe, ſive cum eo; adeoque participes fuerint eorum iurium primariorum, quae conſtant *Legislatoria potestate*, *creatione Magistratuum ac Iudicum*, *exercenda Iurisdictione*, denique *indictione Belli* et *conciliatione pacis*; ita ut ſine his Hollandiae Comites ſive Principes illas Maieſtatis partes exercere de iure non potuerint, neve eorum mandatis atque edictis obligari ſubditi, niſi intercesſisſet *Ordinum Conſenſus*.

§. 658. 3°. Quod ſi haec iura his non competierint (§. 720.); qua igitur in re Ordinum ſive auctoritas ſive potestas ſub Principibus conſtiterit?

§. 659. Ad primam quaeſtionem (§. 656) rite explicandam requiritur disquiſitio nonnihil prolixior de *Subiectione Territoriali*, et *Ordinum Provv.* in Germania et Belgio origine in genere.

§. 660.

Digitized by Google

§. 660. *Principes Imperii* vigore *Superioritatis Territorialis* (§. 260. ſqq. 523. ſqq.) ſoli fuerunt terrarum ſuarum Domini, non adepti hanc poteſtatem ex delatione Subditorum in illis terris degentium, ſed vi magnorum territoriorum, quae, vel iure *alodiali*, ſive originario ſive *acquiſito*, vel nexu *feudali*, ab Imperio cum omni iure Dominico acquiſiverunt (§. 281. ſqq.)

§. 661. Per varias temporum cauſſarumque mutationes in his poſtea multum eſt variatum.

§. 662. Diverſa hinc *Statuum Provincialium* per omnem Germaniam eſt ratio; et omnia poſtea pependerunt ex *lege* vel *obſervantia* ſingularum terrarum.

§. 663. Dantur in Germania Territoria, quae *Ordines* Provincc. penitus ignorent.

§. 664. Dantur, quae Ordines habeant, ſed ſine decernendi poteſtate.

§. 665. Dantur, quae, ex Privilegiis, vel Pactis poſtea initis, *Ordines* cum poteſtate, vel maiore vel minore, agnoſcant.

§. 666. Inſignis illa Germanica olim libertas, unde tot *Liberi Dynastae* et *Principes Imperii* prodierunt, multis eſt decantata, paucis intellecta.

§. 667. Erat medio aevo pro quatuor perſonarum Claſſibus quadruplex territoriorum genus, omnem *Germaniam* et *Franciam* complexum.

§. 668. 1um. genus conſtabat Regum *Domaniis* per omnem Europam latiſſime extenſis; unde largae *Eccleſiarum* ac *Nobilium primariorum* beneficia, feuda, et bona.

*) Omnes olim terrae erant *alodiales*, nullae *feudales*. *Feudales* ex Imperii *Domanio* ſunt repetendae.

§. 669. 2um. genus conſtabat terris *Eccleſiarum*, quae immenſa ſibi territoria acquiſiverunt.

§. 670. 3um. genus erant ampliſſima illa *Nobi-*

Digitized by Google

lium primariorum ſive *Dynaſtarum liberorum* praedia ac territoria, puta *Ducum*, *Comitum*, eorumque omnium, qui haec Territoria, ab omni aliorum Iuriſdictione et Pagorum Iudiciis immunia, poſſidebant.

§. 671. Quarum genus erant agri, quos poſſidebant homines *liberi*, ſive *ingenui*, e quibus *ingenuis* poſtea nata illa eſt *Nobilitas*, quae *equitare*, *militare*, et Principi ſuo adeſſe, erant obligati; et unde apud Belgas, non ſecus atque in tota Germania, ordo *Nobilium* et *Benenatorum* (*Edelen* en *Welgeborene Mannen*) ſub Principibus productus eſt.

*) Origo, iura, et diſtinctio, inter *Nobilitatem Superiorem* ſive *illuſtres* et *Dynaſtas*, unde *Duces*, *Comitesque* ſumti, Statusque Imperii ſunt coorti; et inter *Nobilitatem ſequioris aevi* ſub his Dynaſtis ſeu *terrae Dominis* poſtea exortam (§§. 283. 422. 681.).

§. 672. Quidquid praeterea erat *populi*, id in praediis illorum habitabat, eorum agros colebat, et *mancipia*, *ſervi*, *liti*, *cenſuales*, *homines proprii*, dicebantur, et omnes ſervilis erant conditionis.

§. 673 Duravit hic ſtatus ad ſeculum XII, XIII. a quo demum tempore maiori ſervituti ruſticorum, ſive *hominum propriorum*, rure degentium, modus paullatim imponi coeptus est. Vnde varia *onera*, *cenſuumque* ac *ſervitiorum* genera, imprimis *tributi praedialis* (§§. 818. ſqq.) origo explicanda.

§ 674. *Liberi* huiusmodi *Dynaſtae* (§. 670.) erant Principes *Hollandiae* (§. 281.), *Gelriae* (§. 275.), Altenae, Veluae, Teiſterbantiae; tum Epiſcopi Traiectini (§. 289. ſqq.), non qua *Duces*, *Comites*, vel *Epiſcopi*, ſed qua inſignium illorum Praediorum Domini alodiales, qui haec ab omni aliena iuriſdictione oxemta (§. 248.), et immediate tantum Imperio parentes (§. 255. 275. 281. ſq.) poſſidebant.

*) Hanc libertatem et territorii exemtionem exprimebant formulae breves, ſed momentoſae, *quiete et libere poſſidere*; cum

Digitized by Google

cum omni proprietate ; cum omni dominatione ; cum omni poteſtate et iuſtitia frui, — — (§. 249.)

§ 675. Horum *Nobilium Dynastarum* fata per omnem iuxta *Germaniam*, *Franciam*, et *Belgicam*, admodum fuere diverſa. Multi variis de cauſis decreverunt; evanuerunt; vel in partes diverſas abierunt; vel adiectitia aliorum Territoria evaſerunt: vel, maiores postea nacti vires, plura eiusdem generis Territoria coniunxerunt, vel reliquis emto, matrimonio, aliisque acquirendi Dominii modis adiecerunt.

§. 676. Qui postea *Gelriae Duces*, hi olim *pagi Pontii* liberi fuerunt Dynastae; multis deinde iure *feudi* vel *alodii* acquiſitis, ſec. XI. ſub *Comitis*, ſec. XIV. ſub *Ducis* titulo honorifico, plurium terrarum Domini evaſerunt, et ſub Imperio omnia Supremi Dominii iura exercuerunt. (§. 275. ſqq.)

*) Enumerantur haec iura in Literis *Investiturae* post Diſſert. Viri D. *V. Haſſelt de Juriſd. Criminali.*

§. 677. Qui olim ſec. IX, X. in *Friſia*, in *Kennemaria*, in *hodierna Rhenolandia*, *Delflandia*, *Schielandia*, et ad *Lieram* et *Iſalam*, liberi erant Dynastae, easque Dynastias *libere et quiete* (§. 674.) et ab omni aliena Iuriſdictione exemtas, ſub Imperio poſſidebant: hi deinde, coniunctis omnibus hisce Dynastiis, aliisque adiectis territoriis, ſub *Comitis Hollandiae* titulo inſigniter excreverunt.

*) E. g. *de Kennemaria* IO. A LEID. *Ann. Egm.* p. 6. *Circa exordium Comitatus Hollandiae non fuit aliquis Dominus terrenus in Haecmunda, neque in ſuis pertinentiis* (*Kennemaria* ib. p. 6. l. 4.) *niſi Theodoricus primus Comes Holl.* — — *Erubeſcant ergo, qui dicunt, alium* DOMINVM *fuiſſe in Haecmunda praeter Comitem Hollandiae.*

§. 678. Supra reliquos omnes eminuerunt *Epiſcopi Traiectenſes*. Hi Domini olim erant *Amſtelandiae*,

diae, *Bodegraviae;* poſſidebant terras *inter Lek* et *Iſalam*, inter *Merwedam* et *Lekkam;* ſupra et infra *Iſalam*, *Drentiam*, *Tuentiam*, etc. (§. 289. ſqq.)

§. 679. In hisce Dynastiis ſive Dominiis duae hominum claſſes, *ingenui*, et *proprii homines*.

*) Qui in his Dominiis alios liberos Dynastas ſive primarios eiusmodi Nobiles, dignitate pares, ſibi fingunt, hi miro errore rerum naturam confundunt.

§. 680. Hi *ingenui* ſive *liberi* homines (§. 671.) postea paullatim, ſub Principe ſive Domino ſuo, in duas abierunt claſſes.

§. 681. Qui ex his ad *Miniſteria* Principis admiſſi, vel *feudis* maioribus honorati, aliosve gradus honorificos ſunt adepti, et *Castra* habitarunt; hi *Nobilium* Ordinem postea efficere coeperunt.

*) Inſignis nonnullorum horum *Nobilium* antiquitas in *Hollandia* iam inde per ſex, ſeptem, et octo ſecula cognita, et ex antiquis monumentis probanda.

§. 682. Qui huiusmodi praerogativas non obtinuerunt, hi in ſimplici *Ingenuitatis* ſtatu, plerumque in agris, ſine feudis, et nudo *ingenui* titulo contenti, permanſerunt, et *Welgeboren mannen* postea dicti, cum *ruricolis* vel cum *oppidanis* paullatim coaluerunt.

§. 683. Principes ſeu *Terrae Domini*, erectis postea in pagis ſuis *Vrbibus* ſive *Oppidis*, hisce Oppidis inſignia dederunt exordia et incrementa; opes illorum per varia Privilegia auxerunt, mercaturam promoverunt, ita ut haec tandem *ſingularem* quoque *Ordinem* conſtituere coeperint, exſtincta paullatim penitus in Hollandia *ſervitute*.

*) Ratio, cur *Nobiles* (§. 681.) prima aetate non in Vrbibus?

§. 684. Hi *Nobiles* et *Vrbes*, ſub Principe ſuo enati, eique ſub Imperio R. Germ. unice parentes,

tes, eiusque *Superioritati Territoriali* (§. 679. ſq.) ex Lege Imperii ſubiecti, hanc *ſubiectionem Territorialem* per *Homagium* agnoſcebant et teſtificabantur.

§. 685. *Homagium* eſt iusiurandum *Subiectionis*, quod praeſtat Subditus Domino Territorii.

§. 686. Non cenſetur ideo quis *Subditus*, quia *iurat*; ſed ideo *iurat*, quia eſt ſubditus.

§. 687. Comites *Hollandos*, tamquam terrae Dominos, huiusmodi *Homagium* a ſubditis ſuis ab omni aevo accepisſe, docet Hiſtoria.

*) Iam ſec. XII, XIII. apud *Germanos* in uſu fuit, ut ſubditi *fidem* et *obſequium* regionum Dominis obligarent.

§. 688. Hoc *Homagium* regulariter praeſtabant omnes, cuiuscumque dignitatis, et conditionis, quotiescumque perſona Domini vel *morte* vel quovis *alio caſu* mutabatur.

§. 689. Tantum autem aberat, ut detrectare hoc *Homagium* quis posſet, ut contumaces ad id compelli, etiam armis, potuerint.

*) Qui id detractabant, tamquam rebelles, eiecti, vel eorum bona publicata (§. 615.). Probatur ex natura rei, exemplis, et teſtimoniis.

§. 690. Ex hac *Homagii* praeſtatione *Subditi* etiam a *Domino* ſuo conſequebantur protectionem tam *rerum ſuarum* quam *perſonarum*; quae duabus vulgo rebus abſolvitur:

1°. Princeps hinc obligabatur, terram eiusque incolas defendere contra impetus cum externos tum internos.

2°. Tenebatur tueri iura et bona ſubditorum, eaque ſarta tecta conſervare.

§. 691. Olim tacite hisce promisſis adſtringebatur Princeps, etiamſi nulla accedebat expresſa promisſio (§. 524. 527.)

*) Naturalis haec enim eſt obligatio, et vera hinc doctrina, *omne imperium ex conventione naſcitur.* Sed miſere ſaepe torquetur haec regula.

§. 692. At paullatim invaluit, ut abſque ulla vel *dignitatis* vel *ſuperioritatis* laeſione Principes, verbis etiam expreſſis, ac *iurati*, ut plurimum vero per *literas* quas vocant *reverſales*, ſubditis ſuis protectionem ac iurium defenſionem pollicerentur.

§. 693. Hic nexus Homagii recte tamquam *mutuus contractus* eſt conſiderandus.

§. 694. Manente tamen ſalva regula, quod, quemadmodum *ſubditus* quis non eſt, *quia iurat*, ſed *iurat*, quia eſt *ſubditus* (§. 686.) ita non ideo quis eſt *Princeps* ſive *ſuperior*, quia recipit a Subditis *iuramentum*, ſed, quia *ſuperior* eſt, ideo exigit et recipit *iusiurandum*.

§. 695. Principes ex ſtirpe Hollandica oriundi, usque ad ſec. XIV. pr. diſertam hanc *promisſionem* (§. 525.) feciſse, non leguntur.

§. 696. Exſtincta priore ſtirpe, heredes ex familia *Hannonia*, ſec. XIV. poſt praeſtitum ab incolis *Homagium* (§. 685.) nonnullis ſaepe *urbibus* per literas reverſales ſua iura diſerte confirmarunt.

§. 697. Non tamen omnes Principes, in terrarum ſuarum hereditatem ſuccedentes, et paternum, hereditarium, et patrimoniale Imperium ſuscipientes, ſeculo XIV. hoc feciſse inveniuntur.

§. 698. Invaluit paullatim, praeſertim in turbis, ut Principes, etiam antequam Subditi *Homagium* facerent, literas Reverſales darent.

§. 699. Non tamen hoc ſemper fuit, et ex uſu perpetuo.

*) Probatur exemplis ſec. XV, XVI.

§. 700. Obſervanda etiam eſt diſtinctio, ſcriptoribus Hollandis neglecta, inter *Homagium* Principi

prae-

praeſtitum *ante* Privilegia a Principe confirmata; et ſubſecutam *postea* ſollemniorem ſcriptoque conſignatam Homagii praeſtationem.

*) Manifestum discrimen apud V. Ampl. VAN DE WALL bl. 861. in *Homagio* CAR. V$_o$. praeſtito: a. 1515. his verbis: ALSOE *die borgeren — mynen genad. Heere — opten dach van huyden voor hoeren gerechtigen ende erfachtegen* LANDSHEERE ONTFANGEN *ende* GEHULT HEBBEN *zoe ſy van rechtswegen ſchuldich zijn te doen* SOE *heeft die zelue — Heere — den gewoenlijcken eedt gedaen — als hierna volcht. — — welcken eedt alſoe — gedaen zijnde, hebben die voorſz. —* INSGELIJCX *mynen voorſz.* G. *Heere eedt gedaen* - -

Vbi 1°. Homagium ſeu receptio Domini! 2°. iurata confirmatio Privv. huic ſubiuncta! et 3°. ulterius iusiurandum Subditorum!

§. 701. Quod igitur in ſcriptis medii aevi est, *eligere* vel *recipere Comites*, id intelligendum est de *ſollemni inauguratione*, vel, ut alibi dicitur, *ſublimatione.*

•) Probatur exemplis.

**) Quomodo *ius* Imperii *hereditarium* aliis dicitur *continuata electio?*

§. 702. Ab hoc *Subiectionis* iuramento diſtinguendum est *Iusiurandum fidelitatis*, quod *Vaſalli*, Feuda adepti, Principi ſuo tamquam *Domino directo* faciunt. Vocatur *Vaſallagium.*

*) Variae *Homagii* et *Vaſallagii* diſtinctiones.

§. 703. Hinc Nobilium, eorum nempe, qui *Feuda* in *territorio* habebant, duplex nexus, nimirum tamquam *Subditorum*, et tamquam *Vaſallorum*, pro diverſo reſpectu laxior, vel adſtrictior.

§. 704 Triplex etiam nexus eorum, qui Principis erant *Miniſteriales* iuxta atque *Vaſalli.*

§. 7 5. Non huius est loci quaeſtio, utrum *Subditi*, ante *Privilegiorum* confirmationem, illa exhibere debeant? (§. 596, 610.).

§. 706.

Digitized by Google

§. 706. Res igitur, ratione iuris Subditorum, quatenus hi in Hollandia duos *Ordines* conſtituerunt, *Nobilium* et *Vrbium*, ad principia ſua reducta, huc redit: *Nobiles* et *Vrbes* ſuos Comites et Principes, iure hereditario territorium adeptos, non *elegerunt*, nec *conſtituerunt*, neque iis regnandi formulam *praeſcripſerunt*; Principibusque ſuis parentes, per ſe *ius coëundi*, *deliberandi*, ſive *Comitia habendi*, ſine Domino eiusve iusſu vel permisſu, non habuerunt. (§. 635.)

§. 707. Quidquid igitur iuris poſtea habuerint *Ordines*, id *probari*, vel ex *actis* vel ex *pactis*, non vero *praeſumi* oportet.

§. 708. Qui vel maxime poteſtatem et iura *Ordinum Hollandiae*, et antiquam *Batavam* rempublicam crepant, hi ad aliud provocare documentum non potuerunt unquam, idque ultro confitentur 1), quam ad Chartam quamdam IOHANNIS *Bavari* Dordracenis concesſam a. 1418. ex qua Vrbibus in Holl. et Zeel. *ſalvo iure et dominio Principis* permisſum dicitur, ut in *honorem principis* et *terrae commodum* inter ſe conſilia communicent.

*) 1) Vir Cel. TROTZ. Comm. *Leg. Fundament. Feder. Belg.* excitato p. 86. hoc IOHANNIS *Bavari* a 1418. Privilegio ſtatim addit: *Antiquius Privilegium de Civitatum ſeparatis Comitiis num adſit, dubito. Vix hoc veroſimile videtur, quia Civitatum ante ſec.* XIV. *exigua fuit potentia in rebus publicis, quippe plurimae demum* —— — At idem tamen ille, quod mireris! paullo ante dixerat p. 81. *Est fuitque ſemper ius Comitiorum, Dagvaerden, libertatis Germanicae Belgicaeque verum Palladium, certisſimumque documentum, nunquam herili imperio, ſed molli et populari ſubiectam fuisſe patriam noſtram.*

**) Habetur Charta in MIERIS *Charterb.* D. IV. bl. 488. et VAN DE WALL. *Handv. van Dordr.* bl. 446.

§. 709. Verum ne hoc quidem Privilegium, tantopere decantatum, valuisſe unquam, nec de iure

re

re valere potuiſſe, probatur multis argumentis: *)

1) Datum eſt per literas tamquam exſpectativas, quarum non exſtitit *caſus*.

2) Datum eſt in ſpem *futuri* et ſub *conditione*, cui nunquam eſt ſatisfactum.

3) Datum eſt a non Comite, et in fraudem legitimi Principis. Succeſſerat IACOBA, legitima heres, Patri ſuo WILHELMO VI.

4) Non confirmatum neque agnitum eſt a ſuccedente legitimo Comite, adeoque pro non dato habitum.

5) Non datum eſt *Vrbibus*, nedum *Nobilibus*, ſed peculiari cuidam Vrbi; neque enim reliquae Vrbes ſub IOHANNIS *Bavari* ditione atque Dominio erant.

6) Ipſa illa Vrbs, cui datum eſt Privilegium, IACOBAM, vivo adhuc patre, legitimam agnoverat Principem et Heredem.

7) Denique nunquam poſteris ſub Principibus, ad *ius Ordinum* inde probandum, eo eſt provocatum.

8) Quod ſi ad ſummum eſſet valiturum, ſpectaret tantum ad minores Vrbium Conventus de rebus Domeſticis ſive privatis, et nihil Principi de iure ſuo et ſumma Reip. adminiſtratione remiſſum foret: datum enim eſſet *ſalvo ſuo iure* et *dominio: Vernac. alſoe verre als dat tegen ons, onſen* LANDE *ende* HEERLICKHEDEN *niet en draecht.*

*) Probantur haec omnia ex rebus geſtis et aliis monumentis; unde concluditur, a nonnullis male aſſeri, *Nobiles et Vrbes*, tamquam *publici regiminis membra*, ex hac Charta poſtea temporis cenſeri coepiſſe.

§. 710. Ex ipſo tamen donationis actu, utcumque irrito, hiſtorice conſtat, ante id tempus nullum penitus penes *Populum*, vel *Nobiles* et *Vrbes*, exſtitiſſe ius *cogendi* Comitia ſive *Vniverſalia* ſeu *Particularia*; ſed omnia ſtetiſſe penes Principem et eius Con-

Concilium, *cui terrae regimen erat commiſſum.* (§. 640, ſq. cf. 639.)

§. 711. Manſerunt res in priſtino ſtatu ſub PHILIPPO *Burgundo*, cognomento *bono*, qui ex pacto cum IACOBA Principe de terris in commune tenendis, Regimen terrae Holl. *Novem-viris* ad breve quoddam tempus commiſit.

*) Vulgo *de beveling der negenen*, quorum tamen regimen poſt biennium exſpiravit.

§. 712. Abrogato *Novem-virûm* Regimine, ſumma Reipubl. vivente PHILIPPO, ſtetit iterum penes Principis Concilium ſive Curiam, ſub Gubernatore, cui libera facultas asſumendi eos, quos ſecum asſumere lubebat, *Conſiliarios.*

*) Probatur hoc Terrae regimen ſub PHILIPPO ex multis Actis et Monumentis authenticis, hactenus varie contortis; imprimis ex ultimae voluntatis *Tabulis* PHILIPPI, in quibus cavit de bonorum ſuorum *ſucceſſione*, de terrae *adminiſtratione*, et de filii ſui *tutela*, nulla penitus habita *Ordinum* mentione vel ratione.

**) Cumulatisſimae huius Principis laudes, etiam tempore turbarum civilium ſec. XVI. imprimis ex eo, quod *Nobiles* et *Vrbes*, t. t. *Ordinum* nomine cenſeri coeptos, plus quam alii, in rebus publicis adminiſtrandis, conſuluerit.

***) Multi hanc *Principis Curiam*, terrae regimen capesſentem, cum *Tribunali Iuſtitiae*, poſtea ſeparatim erecto (§. 415, 416.); et, quod multo peius eſt, cum *Ordinum Conventu*, ad ipſam interdum arcesſito, confundunt (§. 640.).

§. 713. Eadem omnia obtinuere ſub PHILIPPI filio, CAROLO, cognomento *Pugnace* ſive *Audace.*

§. 714. Mortuo CAROLO, et rebus per omnes Provincias vehementer anxiis atque turbatis, Hollandiae Zeelandiaeque *Nobiles* et *Vrbes*, captata occaſione, a MARIA *Caroli* filia obtinuerunt, ut ſibi liceret inter ſeſe *Conventus agere*, cum reliquarum

Pro-

Provinciarum Ordinibus Comitia habere, pro arbitrio congregare, quando et ubicumque ſibi luberet, deliberareque de ſumma terrarum et urbium, idque neque rogato Principe, neque hunc propterea offendendo.

*) Ad ſolos hoc Hollandos Zeelandosque ſpectasſe, non vero ad *Gelros*, *Traiectinos*, reliquosque, iam alii obſervarunt.

**) Ardentibus hoc ſeculo animis de magno hoc MARIAE Privilegio, a. 147$\frac{6}{7}$, d. 14. Mart. concesſo, disputatum est, cum de *facto*, tum *de iure*, valueritne postea nec ne?

§. 715. Quidquid huius *Privilegii*, vivente MARIA et eius coniuge MAXIMILIANO *Auſtriaco*, fuerit: hoc conſtat et de *iure* et de *facto*, istud Privilegium a *Mariae* filio, herede, ac ſuccesſore, PHILIPPO *Auſtriaco*, in ſollemni ſua *inauguratione* esſe *revocatum* et *irritum* declaratum; *approbantibus* et eam *revocationem* ratam habentibus ipſis *Ordinibus Hollandiae* atque *Zeelandiae*. Quod tam certum est, quam quod certisſimum.

*) Vid. *Cod. LL. Belgic.* (vulgo *'t Groot Placaat-boek van Holland.* D. IV. bl. 8.)

§. 716. Disquiritur, an dari hoc vel confirmari a Principe, *Superioritatem Territorialem* intemerato ſervante, potuerit, niſi ſimul omnem gubernandi et publicae rei *formulam immutatam*, et *Ordinum Co-imperium* admisſum, voluerit.

§. 717. Irritum hoc et abrogatum MARIAE Privilegium non confirmavit, ſed pro non dato habuit PHILIPPI *Auſtr.* filius et heres CAROLVS postea Rex et Imperator, cum minorennis a. 1507. et, cum ex ephebis egresſus, ſollemniter inaugurraretur a. 1515.

*) Quod probatur.

§. 718. Multoque minus id confirmavit CAROLI

LI filius PHILIPPVS, ultimus Princeps, in ſollemni ſub parente inauguratione a. 1549. neque post abdicationem patris ſui a. 1555.

*) Quod probatur, et ab obiectione vindicatur.

§. 719. Agnoverunt hanc revocationem et abrogationem ſemper ipſi *Ordines Hollandiae*, et *factis* et *verbis*; donec huius abrogati, adeoque de iure non valentis, Privilegii mentio per turbas civiles iterum iniici coepit.

*) Probatur ex monumentis authenticis et rebus varie geſtis.

§. 720. Longe alia quaeſtio eſt, nec confundenda cum priore, an istud Privilegii, ſub *libera Republica*, hodienum valeat valereve poſſit ac debeat? Immo an diſerta lege ſummus Imperans postea hoc *Privilegium* confirmaverit, vel confirmare, ſi velit, poſſit. Hic tantum docemur, ſub Principibus non valuisſe.

§. 720*. Praeter haec tamen nihil a nostratibus unquam est prolatum vel proferri poteſt, quo probetur *ius Ordinum* Hollandiae ſub Principibus, ultro *coëundi* (§. 656.) vel de ſumma reipublicae *deliberandi* (§. 657.).

*) Quidquid prolatum unquam est, id omne confuſe est traditum, et pertinet ad cautiones ac diſtinctiones (§. 634-655.) hactenus neglectas.

§. 721. Quod ſi haec iura (§. 656, 657.) *Ordinibus Hollandis* ſub Principibus non competierint; qua igitur in re *Ordinum* ſive poteſtas ſive auctoritas conſtiterit, diſpiciendum.

§. 722. *Nobiles* et *Vrbes*, antequam in Hollandia *duo*, in Zeelandia *tria* ſeparata Ordinum corpora, effecerunt, ſaepe a Principibus per modum *Dagvaarten* evocati leguntur, ut cum ipſis de rebus terram ſuam ſpectantibus deliberarent. (§. 649.).

§. 723.

§. 723. Poſtquam vero hi, ſub *Ordinum* nomine, *Collegii* formam conſtituerunt, quod ſec. XV. pedetentim coepit, nunquam tamen *iniuſſu*, nedum *invito* Principe, coire potuerunt (§. 636.) Sed eorum evocatio ſtetit penes *Principem*, qui in nonnullis rebus gravioris momenti *Ordines*, ad ſe vocatos, de rerum ſumma conſulebat, auditis vero ſententiis, ipſe decernebat, ſive adesſet ipſe *Princeps*, ſive terrae *Gubernator* vel *Gubernatrix* nomine *Principis*, ſive nonnulli eius *Commisſarii* (§. 637. ſq)

§. 724. Hi *Ordines* repraeſentabant totum Populum ſive omnes Subditos. Quidquid igitur Princeps deliberabat, communicabat id deliberabatque cum Subditis ſuis.

§. 725. Ordines Hollandiae non fuerunt participes *Legislatoriae poteſtatis* (§. 323. ſqq.).

*) Probatur res exemplis, documentis, et teſtimoniis virorum magnae etiam auctoritatis et ingenii acuminis, qui, diſcusſis praeconceptarum opinionum nebulis, ipſa Acta et Monumenta vetuſta in conſilium vocare coeperunt.

§. 726. Potuerunt tamen Ordines (neque quiſpiam Princeps hoc unquam Subditis negat) rogare Principem, ut, ſiqua utilia terrae eſſe cenſerent, ea concederet; quae vero minus utilia vel incommoda, abrogaret; vel proponere, ſi qua haberent, gravamina. Sed ſemper hoc per modum *Supplicationis*, vel ferente commoda occaſione. Verum de iſtis ſtatuere, ſtetit penes *Principem* eiusve Curiam.

*) Quae obiiciuntur, non merentur confutationem, ſed ſolam explicationem.

§. 727. De *Iuſtitia* ac *iurisdictione*, rebusque eo ſpectantibus, tantum abeſt, ut *Ordines*, multo minus *Vrbes*, ſub *Principibus* quidquam unquam conſtituere, praecipere, iubere, potuerint (§. 383. ſqq.) ut hi ipſi, qua tales, *Iurisdictioni* et *Iuſtitiae* Tribunali-

 bus,

bus, a Principe eo ſine erectis, in omnibus ſubiecti, in ius vocati, vel cauſſam ſuam in iure proſecuti ſint.

*) Probatur teſtimoniis et monumentis.

§. 728. Vt igitur aboleretur quaedam terrae conſuetudo, vel aliqua iuris civilis ſanctio, vel introduceretur ius contrarium, et ſexcenta ſimilia; horum quidem erat *rogare*, ſed Principis erat *dare*.

*) Eiusmodi cauſſarum cognitionem Principes non *Ordinibus*, qui ſupplicabant, ſed vel *privato* ſive *ſecreto* ſuo *Conſilio*, vel *Curiae Provinciali*, vel *Tribunali iuſtitiae* mandabant, vel ſibi ſolis reſervabant, cum intimis ſuis Conſiliariis.

**) Res exemplis et teſtimoniis probatur.

§. 729. Ratione civilis adminiſtrationis ſive *politiae* eadem omnino ratio. Saepe *Ordinum* conſilium admiſerunt, immo rogarunt Principes. Interdum etiam pro ſua parte Ordines petebant, ut ne in re quapiam, quae ſua maxime intererat, Princeps decerneret, ipſis inconſultis, inauditisve.

*) Proſtant exempla bene multa.

§. 730. *Magiſtratuum* creatio, cum *maiorum* tum *minorum*, erat penes Principes (§. 353. ſqq.). In his creandis nullum omnino ius fuit unquam penes *Ordines*; et actum egregie de ſeſe putabant, ſi *peregrinos* arcere posſent.

§. 731. Non admisſurum ſeſe peregrinos, donec 25. annos attigisſet, promiſit PHILIPPVS Auſtriacus. Idem CAROLVS V. Poſtea vero magis generale promisſum. Excepti tamen *Gubernator*, et alii nonnulli, et illi imprimis exteri, qui *Hollandos* ab honoribus non repellebant.

§. 732. Ius *belli gerendi* et *pacis condendae* fuit penes Principes (§. 429. ſqq). Quod tamen belli *ius* non impediit, quo minus in re tanti momenti Ordines

dines ſaepe conſulerent, et ipſorum etiam *conſenſu* bella gererent (§. 495. ſq.).

§. 733. Nihil tamen ipſi ſine *Principe* potuerunt unquam. Immo Ordines Principem, vel eius vice Curiam Hollandicam, rogarunt facultatem, ut ſibi liceat Principis nomine uti *Represſaliis*; ipſaque *Curia* ſua vice hanc concedendi facultatem a Principe petiit.

*) Probatur.

§. 734. Vlterius explicantur ea, quae contra hoc *ius belli et pacis* a nonnullis obmoventur (cf. 489. ſqq.).

§. 735. Nullius ſunt momenti, quae magno molimine ex tribus MARGARETAE Bavarae, Principis Hollandiae, Privilegiis a. 1346. *Zuidhollandis*, *Noordhollandis*, et *Kennemariis*, i. e. toti fere Hollandiae, conceſſis, a multis obiiciuntur.

*) Habentur illa apud MIERIS *Charterb.* D. III. bl. 708, 710, 712.

**) Egregie *Critica Diplomatica* uſus est in confutandis hisce Privilegii Chartis Vir Ampl. VAN DE WALL *Handv. van Dordr.* bl. 200. ſqq. quippe qui docuit, haec tria Diplomata, (unde ex neglectu Hiſtoriae Diplomaticae tot abſurda postea commenti ſunt Nostrates) nunquam de iure valuisſe, utpote a WILHELMO V. MARGARETAE filio et proximo herede reſciſſa et abrogata.

***) *Cunnum olere*, vel *Privilegia cum foramine*, vili olim ſcommate, nonnulla dicebantur Privilegia.

§. 736. Quid cenſendum de *Ordinum* petitione ac MARIAE conceſſione (in abrogato Privilegio §. 714, ſq.) nimirum, ut ne obligarentur ſubditi Principem ſuum ſequi contra hostes, non modo in bellis *offenſivis*, ſed ne *in defenſivis* quidem, ultra placitum ſuum atque *conſenſum*.

§. 737. Quid, post reſciſſum hoc Privilegium, ſub PHILIPPO *Auſtriaco*, MARIAE filio, *Nobiles*

Digitized by Google

Vaſalli Principem rogarunt, ſed repulſam tulerunt, ratione oneris huius militandi?

§. 738. Egregia noſtratium illuſio, ubi leguntur *Hollandi* geſſiſſe *bella*, vel *pacem* feciſſe, vel Pax inita dicitur cum *Comite Hollandiae et cum Ordinibus.*

§. 739. Quantum ad *Pacem!* Principes interdum cum *Ordinibus* communicabant, ſe *Pacem* feciſſe, vel *ſedera* iciſſe cum exteris Principibus; interdum has *Pacis* tabulas ipſis recitari iubebant, easque ut ratas haberent, vel teſtium ſubſcriptione vel fideiuſſione confirmarent, nonnunquam rogabant. In his tamen nihil de *iure bellandi.*

§. 740. Longe aliter comparata res fuit ratione *Subſidiorum.* Non poſſunt bella geri vel publicae res adminiſtrari, niſi adſit *pecunia*, qui nervus eſt belli, et omnis rei gerendae facultas. Vbi igitur haud ſufficeret Principis aerarium, ſubditorum erat largiri pecunias. Rogare autem erat Principum. Concedere vel negare erat *Ordinum* (§§. 929. ſqq.).

§. 741. Convocabantur in hunc potiſſimum finem *Ordines*, ut, audita ſubſidiorum neceſſitate, haec vel *conſentirent*, vel *negarent*, vel modum et finem determinarent.

§. 742. Ordines igitur in conſentiendis *Petitionibus*, ad onera et ſubſidia Reipublicae ferenda deſtinatis, liberum habebant conſenſum. Exhibito vero conſenſu reliqua omnia peragebantur nomine Principis; nec poterant propria ipſi auctoritate incolas onerare.

*) Sed haec pluribus *Cap. ſeq.* ex profeſſo, imprimis §. 930. ſqq.

§. 743. Haec tamen Ordinum convocatio numquam ex lege aliqua vel conſtitutione fiebat; ſed tempore, modo, numero, et loco, quibus Principi placebat.

§. 744.

Digitized by Google

§. 744. Si quid amplius, quod rogarent, haberent, vel gravamina proponerent, ſemper id per modum *Supplicationis* fiebat. (§. 726.)

*) Exhibentur innumera huius generis exempla.

§. 745. Huiusmodi querelas, quae de plano diſcuti non poterant, remittebat ſaepe Princeps ad *Dicasteria*, quae, quod legibus conveniret, definiebant, etiamſi vel ipſa Principis *iura* et *bona* ſpectarent.

*) Huius generis, praeter alia multa, elegans exſtat exemplum in ſententia Curiae Mechlin. a. 1548. ſuper *re frumentaria*, eiusque *vectigali*, lata, quam dedit V. D. E. LUSAC *Holl. Rykdom* D. I. a. 1780. Append. A. bl. 1. ſqq.

§. 746. Duravit haec Comitiorum ratio ad annum usque 1572. quo rebus turbatis Ordines proprio marte publici quasdam regiminis partes tractare coeperunt.

*) WAGEN. *Vad. Hist.* D. VI. bl. 383.

§. 747. Ex his omnibus multae postea quaeſtiones facilius explicabuntur.

*) *a*) E. g. quando Nobiles in Collegium quoddam coaluerint, quod integrum Nobilitatis corpus repraeſentaret?
b) An Nobiles maiores excluſis reliquis deſcripti fuerint, repraeſentarintque minores civitates et loca campestria?
c) An vere dicantur Principes ad *Nobilium* potentiam diminuendam *Vrbes* in Comitia admiſiſſe?
d) An eodem iure minores admisſae fuerint Vrbes, quo maiores? Et ſimilia id genus alia.

§ 748. Hactenus de *Hollandia*! Quae fuerit *Ordinum Provincialium* in reliquis Provinciis auctoritas et poteſtas, hinc aeſtimari facile poteſt.

§. 749 Quod de *Hollandia* dictum, quomodo ſeſe in *Zeelandia* habuerit, ubi postea tres *Ordines*;

Digitized by Google

Eccleſiaſticus, *Nobilium* et *Vrbium*. Fuit olim cum *Hollandia* iuncta, cum eaque partem ſuam in *Subſidiis* tulit.

§. 750. In *Dioeceſi Traiectina*, ſub Epiſcopis, tanquam terrae Dominis, mature tres fuerunt Ordines, *Eccleſiaſticus*, *Nobilium* et *Vrbium*.

§. 751. Ante translatum in CAROLVM V. Traiectenſe *Dominium*, per *Epiſcoporum* nonnullorum imbecillitatem, per electionem, et turbas hinc ſaepe exortas, *Ordinibus* paullatim pinguius ius, et multum de iure ſuo remiſſum Principibus.

§. 752. Post translatum vero in CAROLVM V. Principem *omne Temporale Dominium*, mutata haec est Imperii formula, neque publici, ſi quid antea fuerit in hac vel in illa parte, regiminis amplius participes fuerunt.

§. 752. Translata cum illo Dominio in *Carolum* est omnis Iurisdictio, iurisdictionis adminiſtratio, Officiariorum ac Iustitiariorum conſtitutio, Legum Edictorumque promulgatio, quaeque praeterea *ſummi Imperantis* ſunt partes; eaeque ab hoc inde tempore penes ſolum et unum fuere *Principem*, et eius *Curiam Provincialem*.

*) Probatur hoc ex actis authenticis et ex diſertis ipſorum *Ordinum* per illa tempora testimoniis; *Dat ſy*, inquiunt, *zedert ſy aen de Keyſ. Maj. hoochloff. memor. gekomen zyn, geen Jurisdictie gehadt nochte gheadminiſtreert, noch oock eenige Officiers, Wethouders, ofte Juſticiers, die hooghe Juſtitie inden Steden ofte over die platte Landen adminiſtreren ghesteldt hebben: Maer dat de geheele temporale Jurisdictie getransfereert was aen de Keyſ. Majeſteyt, die overſulcx — Dat alle Placcaten ende d'executie van dien bevolen wordt, niet den Staten, maer alleen de Officieren. ——— Dat de voorſz. Staten niet en moghen vergaderen ſonder ſpeciale verſchryvinghe van zyne Maj. ofte zyne Majs. Stadhouder. —— Ende gheſchieden die voorſz. verſchryvinghen principalyck op ſaecken van beden, ſchattingen ofte ſubventien die men de Maj. gheeft, ende voorts op 't onderhout vande Dycken, Dammen,*

men, —— *Maer niet op ſaecken van Jurisdictie.* —— *Sulcx dat het Landt in vrede te houden, van oproerte ende ſeditien te bewaren, toekomt den Coningckl. Maj.* —— *ende niet den Staten.* —— Sic a. 1569. in Iudicio loquebantur Ordd. Trai.

§. 753. Convocabantur hi poſtea *Ordines* nonniſi de expreſſo Principis mandato ſive illius Curiae, ita ut ſine eo *Ordinum Acta* de iure esſent nulla.

*) Probatur.

§. 754. Fiebat haec Convocatio clauſis literis, quae rerum deliberandarum momenta exhibebant; erantque potisſimum, 1) ut petitiones, tributaque Principi, indigenti, concederentur. 2) ut de refectione aggerum, quaeque eo ſpectabant, deliberaretur. Quae vero ad *Iuſtitiarios*, *Iuriſdictionem*, et terrae *gubernationem* ſpectabant (§. 752.), Principi erant reſervata.

§. 755. In *Gelria*, quae prima fuerit *Comitiorum* occaſio, indicatur. Non alia illic gubernandi ratio obtinuit atque in reliquis.

§. 756. In *Friſia* longe olim diverſa Imperii ratio in *Statu Democratico* ſive *populari*, idque a ſec. XIII°. usque ad ſec. XV. Longe alia ab eo tempore, ex quo ad unum omnia *Principem* devenerunt.

§. 757. Status *Democratici* in aliam regiminis formam mutatio ſub *Ducibus Saxoniae* ab anno 1498. et gravisſimae eius ſequelae.

§. 758. Tranſlato deinde in CAROLVM V. Dominio omnis *Ordinum Conventus* itidem penitus cesſavit; neque de illo, in *tranſlationis* Tabulis, quidquam cautum.

*) Nec negant hoc ipſi Friſii.

§. 759. Rogarunt quidem poſtea ab Principe ſuo facultatem, ut, praeſente eius *Gubernatore*, ac permittente *Curia*, Conventus agere ſibi liceat; ſed

hoc ipſis negatum, et in ſolis cauſſis agrariis *hos Conventus* habendi, conceſſa facultas. Reliqua omnia curabat peragebatque *Curia Provincialis*, Principis vice functa.

§. 760. De ſupremo *Tranſiſalaniae* ac *Groninganae* Dominio in CAROLVM V. translato, nota ſunt omnia.

§. 761. Concluſio de VII. Ordinum Provincc. auctoritate et poteſtate ſub Principibus Belgicis.

§. 762. Ex his VII. Belgii hodie federati Provinciis, reliquisque terris hereditariis ac patrimonialibus, ſub ultima Principum ſtirpe convocari etiam coeperunt *Generales Ordinum Conventus* ſive *Comitia*.

§. 763. Convocabantur haec itidem a *Principe* vel eius iuſſu; et ab eo ſolo horum convocatio pependit.

*) Quod probatur.

§. 764. Deliberari tandem per turbas coepit civiles, annon *Ordines generales propria auctoritate convenire, et de ſalute publica deliberare poſſent?* Quod factum tandem eſſe, docet Hiſtoria.

§. 765. Quid ex *Federe Gandavenſi* a. 1576? quid ex *perpetuo Edicto* a. 1577? quid ex *Confederatione Traiectenſi* a. 1579? denique ex *Pacis tractatione Colonienſi* a. 1580. in his immutatum? Quae *iurium* paullatim inter *Principem* et *Subditos* fuerint *colliſiones*; quaeve hinc factae *commutationes*, et tandem, orta ſub Ordinibus quaeque ſuis, *libera* et *felix* ſeptemgemina Belgarum federatorum Reſpublica.

Digitized by Google

CAPVT XV.

De iure Principum Belg. collectandi ſive ſubſidia expetendi.

§. 766. Qui *Subditos*, ratione *Subſidiorum* ac Tributorum, Principi ſuo obnoxios fingunt; vel e contrario cenſent, *ſubditos* Principi ſuo penitus denegare potuisse *Petitiones* (vulgo *Beden*); eosdemque Principes *egenos* ac *pauperes* repraeſentant: hi ſtatum controverſiae, ſat ſaepe ventilatae, parum intellectae, non usquequaque ex vero proponunt.

*) Quum omnium Provinciarum hereditariarum una eademque fuerit ratio; hinc explicato apud Hollandos *iure petendi ſubſidia*, reliqua omnia facili opera expedientur.

§. 767. Non alia Principibus *Belgis*, nominatim *Hollandis*, ſors atque conditio fuit quam omnibus Imperii German. *Statibus*, *Electoribus*, *Ducibus*, *Principibus*, *Comitibus*, immo cunctis fere Europae *Regibus*. Habuerunt hi nempe *ius petendi et exigendi tributa et collectas*.

§. 768. Perperam tamen hinc elicitur, quaſi Principes pro arbitrio *de bonis* ac *facultatibus Subditorum* disponere poſſent. Vtcumque magna est ſemperque fuit Principum poteſtas; ea tamen ſemper intelligitur, *ſalva privatis rerum ſuarum proprietate et poſſesſione.*

§. 769. Quod antequam probatur, nonnulla praemonenda, quae anſam multis praeconceptis opinionibus dederunt. 1) Primum Monitum. Repraeſentantur vulgo *Principes* Belgae, ut tales, qui,

Digitized by Google

praeter *Subſidia* a civibus erogata, non haberent, unde ſubſiſterent. Quod penitus falſum est.

§. 770. Quum omnis olim divitiarum ratio in Agris, eorumque Colonis, ſita esſet, nec ulla Tributa hos agros premerent, habebant omnes Principes, unde prima aetate, ſine ullo, certe ſine magno, *Subditorum* incommodo, ſe ſuamque familiam ſustentare, et terras ſuas atque Dominia defenſare, ordinario modo, posſent.

*) Quidquid enim in eiusmodi Territorio *privatorum* non erat, Principis id erat (§. 772. ſqq.) Hoc ratio docet; iura confirmant; hiſtoriae probant.

§. 771. Habebant in illis territoriis *bona* ſua *alodialia*, ſeu *patrimonialia*, cum *avita*, tum *acquiſita*; avita, tamquam *Dynastae liberi*; acquiſita, tamquam privati, quae a Regibus *iure proprio*, ac *libere et quiete* (§. 249.) posſidenda acceperant, ex quibus immenſos reditus, eosque ſine oneribus inde alteri ſolvendis, percipiebant.

*) Quod illuſtratur exemplis (cf. §. 283.).

§. 772. Habebant ergo bona *Domanialia*, (*hunne Domeinen*), quae in Hollandia (*'s Graaſlykheids* of *'s Graven Domeinen*) vocantur.

*) Quae utrum in pleno Principum, an vero Civitatis, fuerint *Dominio*, in re ſubſidiaria nihil ad rem.

**) Non vivitur ex ipſis *Domaniis*, ſed ex illorum *reditibus* atque *proventibus*.

§. 773. *Reditus* ex his Domaniis percepti in pleno eorum fuere Dominio, iidemque inſervierunt *cum ad ſustentandam Principis perſonam*, *tum ad ferenda publici regiminis onera*.

*) Hoc ne in ipſo *Imperio* quammaxime *civili* in dubium vocatur; nedum in *Dominiis* ſive *Dynaſtiis*, ac Provinciis *patrimonialibus*.

§. 774. Dividuntur haec in 1) *Bona* et 2) *Iura*.

1)

1) Ad *Bona domanialia* referuntur, quaecumque non *privati*, ſed *publici* nomine veniunt, e. g. *loca publica*, *agri*, *prata*, *inculta praedia*, *flumina*, *inſulae*, *litora*, *ripae*, — —

§. 775. Nec non quidquid Principes tamquam *Domini directi* aliis in feudum concedunt.

*) Quam immenſa autem haec fuerint, docent omnia illa praedia et iura patrimonialia minora, vulgo *Hooge* en *Ambachts-heerlykheden* cum connexis eorum iuribus a Principe data.

**) In his recenſendis quomodo occupetur P. BORT tractaat *over de Domeinen*, en *de Leenen?* At Comitem Hollandiae fuiſse *Dominum immediatum* . . . . *van alle Leenen*, *tot des Graeffelyckheyts van Hollants Register en Leenkamer behoorende*, ne ipſe BORT negare ſustinet.

§. 776. Praeterea, quaecumque in oppidis ſibi Principes primitus reſervabant.

*) Huiusmodi multa fuerunt. *Behouden*, inquit Princeps, *binnen onſer voornoemder Poorten* ONSE *grute*, ONSE *tollene*, ONSE *wage*, ONSE *maete* ONSEN *wint ende alle* ONSE *renten die wy nu ter tyd daer in hebben*; MIERIS D. II. bl. 639.

§. 777. 2) Ad *Iura* Principum, unde itidem percipiebant *reditus* ſat inſignes, referuntur:

a) *Vectigalia* et *telonea*, ſive haec ex Impp. Germ. privilegio, ac iure Feudi, ſive iure territorii, exegerint.

§. 778. Fuerunt olim in Belgio diverſis in locis *Telonea*.

*) *Neomagi*, *Tielae*, *Traiecti*, *Duroſtadi*, *Dordrechti*, *Geervlietae*, — — (§. 231. *b*.)

§. 779. *Vectigalia* inſtituendi ius olim penes ſolum Imper.

§. 780. Interfuerunt Legibus Imperii de *Vectigalibus* latis Principes Belgae, *Gelri*, *Hollandi*, *Traiectini*.

§. 781. Hi Superioritatem Territor. nacti proprio

Digitized by Google

prio marte *Vectigalia* exegerunt, citius *Hollandi*, ſerius *Gelri*.

§. 782. Reditus ex his percepti ſolius erant Principis, et ad eius *Cameram* ſive *Aerarium* pertinebant.

§. 783. Haec ſaepe *locabantur* vel in *feudum* aliis dabantur; obligabantur; oppignerabantur; vel ex parte vel penitus in proprium dabantur.

§. 784. Ex his concedebant aliis immunitates, praeſertim ubi *Oppida* condebant, eaque telonei immunitate frui iubebant.

§. 785. Variae horum ſpecies, nomina, et ingentes olim reditus.

§. 786. *b*) Praeter haec habebant *Iura Fiſci*, a nonnullis per excellentiam *iura regalia* dicta.

§. 787. Quaenam admittenda ſit diſtinctio inter *iura Dominica* et *iura Fiſcalia*.

§. 788. Ad *Reditus* fiſcales, qui in Aerarium Principis influebant, fere referuntur:

a) *Commiſſa Vectigalium*, ſive publicationes mercium, quarum profeſſio facta non erat.

§. 789. *b*) *Commiſſa indignorum*, ſive publicationes hereditatum more vel lege indignis relictarum.

§. 790. *c*) *Bona damnatorum* et *proſcriptorum*.

*) Ab priſtimo hoc rigore paullatim, etiam in Belgio, receſſum est, et quomodo?

§. 791. *d*) *Bona peregrinorum* in terra Principis decedentium, qui *Albani* dicti.

*) Origo iuris *Albinagii*, *Droit d'Aubaine*. Ab hoc iure itidem paullatim Territorii Domini receſſerunt. Multa tamen eius veſtigia in Europa remanſerunt.

§. 792. *e*) *Mulctae* ex criminibus vel delictis perceptae.

*) Ex his pars quaedam, *tertia* vel *dimidia*, aliave, a Principe *Iuſtitiariis* cedebatur honorarii loco; locabatur etiam, vel oppignerabatur.

§. 793.

§. 793. *f*) *Bona vacantia* eorum, qui ſine herede inteſtati obierant.

§. 794. *g*) *Res nullius*, vel ea, quae privati ſibi vindicare nequibant. Cedebant haec Territorii Dominis; et eo referebantur:

§. 795. *α*) *Bona naufragorum*.

*) Cuius iuris rigor paullatim remiſit.

§. 796. *β*) *Ferae beſtiae*, *volucres*, *piſces*, ſive iura *venandi*, *aucupandi*, *piſcandi*.

§. 797. *γ*) *Metallifodinae*, Salinarum *reditus*, ſi qui obtingerent, ac *Theſauri*.

§. 798. *δ*) *Agri inculti* aut *deſerti*, omniaque pro derelictis habita; quo ſpectant *praedia* vel fraude vel negligentia a poſſeſſoribus relicta.

§. 799. *ε*) Omnes *novi* oborti *reditus*; quo referri poſſunt:

a) *Decimae novales*,

b) *Alluviones* cett.

§. 800. Concluſio. Sat *bonorum* ac *redituum* Principes priſtino aevo habuere, unde ſe ſuasque terras ſuſtentarent (cf. §. 283.).

§. 801. 2um. Monitum. Diſcrimen, ſeriori aetate invectum inter *Principis Aerarium* ſeu *Fiſcum*, et inter *Populi Aerarium*, olim fuit nullum. Principes ex *bonis ſuis Domanialibus* Reditibusve onera publica ferebant, et ſe ſuamque familiam ſuſtentabant.

*) Haec obſervatio in iure publico veteri Germanico et Belgico quantivis eſt momenti, hactenus multis neglecta.

§. 802. Hinc ratio, cur ea, quae Principes *Hollandiae*, ad communem Imperii neceſſitatem, ex bonis ſuis, contulerunt, usque ad a. 1548. ſubditos fere latuerint, quando a CAROLO V. rogabantur, ut venirent in conſortium; hi vero iſtius *Subcollectationis* ignaros ſeſe ferebant.

*) Rem narrat WAGEN. *Vad. Hiſt.* D. V. bl. 317.

§. 803.

§. 803. 3um. Monitum. Multi non diſtinguunt onera publica *realia* et *perſonalia*, immunitatemque ab onere publico tam laxe interpretantur, ut non modo ſub his onera *perſonalia* comprehendant, ſed omnem ſimul obligationem ad omnia publica onera tollant.

§. 804. Mutatis temporibus multa etiam onera, ex reipubl. uſu olim *perſonalia*, pedetentim in *realia* abierunt.

§. 805. 4um. Monitum. Confundi non debent *Tributa ordinaria*, undecumque exorta (§. 845.), cum *extraordinariis*, quae per excellentiam postea dictae *precariae* ſive *petitiones* (§. 892. ſqq.).

§. 806. 5um. Monitum. Confundi non debent *Vectigalia* et *Tributa* (§. 777.). Quod crebro fit.

§. 807. 6um. Monitum. Multoque minus confundenda ſunt illa *iura*, quae vi Territorii vel iure Fiſci Principi competunt (§. 786.) cum *Tributis*.

*) *Tributi* genus ſunt e. g. *Acciſae* (§. 977.). Male igitur confunditur *ius molendini* cum *acciſa frumenti*; *ius grutae* cum *acciſa cereviſiae*; *ius ſalinarum cum ſalis acciſa*. ——

§. 808. His praemisſis, videamus 1°. de ſolitis *tributis*; 2°. de iure petendi *ſubſidia* ulteriora.

§. 809. In omnibus German. Imperii Rebuspublicis ſemper diſtincti fuerunt limites inter *publicum* Principis *Dominium* et *Dominium privatum* (cf. §§. 174. ſqq.)

§. 810. Quid publicum Principis *Dominium*?

§. 811. Quid *Dominium privatum*?

§. 812. Hoc *privatum* ſive privatorum *Dominium* ex norma Imperii R. G. ita penes Subditos manet, ut de eo diſponendi facultas non ſit penes Principem, ſed penes *privatos Dominos*, ſeu posſesſores, ita ut is vere ſit *liber* ac *ſui iuris*, qui, ratione *privati* Dominii, huius habeat *uſum* et *diſponendi* facultatem (§. 671.).

§. 813.

Digitized by Google

§. 813. Ex eminenti tamen Principis *Dominio*, vel ut alii, *Imperio*, in modo et iure iſtius *uſus* et *diſpoſitionis* interdum nonnullae reſtrictiones obtingunt, non minus atque in Actionibus.

§. 814. *Petitiones* igitur ſive *precariae*, proprie dictae, ſive onera et ſubſidia illa, quae ad explendum Principis Aerarii defectum conferri poſtea debuerunt (§. 895. ſq.), nunquam niſi *Subditorum conſenſu* exigi potuerunt, adeoque nonniſi per modum *precum* impetrare haec ſas erat.

*) Hoc clarius patebit, ubi *origo* et ſata *Tributi* et *Subſidiorum* inveſtigavero.

§. 815. Antiquitus apud Francos omnes *ingenui* ſive *liberi*, qui *privata* habebant *Dominia*, nihil Regi *tributi* nomine pendebant (§. 190.); debebant tantum ei *militiam* et *terrae defenſionem*. Ab his oneribus nemo liber (§. 201.).

*) Conf. Ill. MONTESQ. *Eſpr. des Loix* L. XXX. C. 17.

§. 816. Qui *militiam* debebant, *tributum* non pendebant. Pendebant tantum ii, qui non militabant. Militabant autem omnes, praeter *ſervos*, ſive *proprios homines*, qui agris colendis, iique ſoli erant intenti (§. 445.).

§. 817. *Tributum* ſive *cenſus regius* origine ſua ſub *Francis* nihil aliud erat, niſi reditus ex fiſco ſive Dominio regio, eiusque manſis et agris regiis.

§. 818. Reges Francorum non impoſuerunt *Tributa*, niſi in ſervos ſuos et bona *fiſci* ſui, id est *Dominia ſua* (§. 170.), idque non fecerunt ut *Reges*, ſed ut *proprietarii*.

*) *Fiſcus*, non minus atque vox *cenſus*, apud Francos diverſum ſonabat ab eo, quod apud Romanos.

§. 819. Ex his male intellectis multi ius *tributi imponendi* inter *iura regalia* retulerunt.

§. 820.

Digitized by Google

§. 820. At idem ius exercuerunt omnes *Domini proprietarii*, ac liberi *Dynaſtae*, qui tributa a ſuis colonis exigendi iure gaudebant.

§. 821. Hinc olim *ſervum* vel *proprium* eſſe *hominem*, et *cenſum praeſtare*, eodem redibat.

§. 822. Hoc ab *Francis* ad *Germanos* permanavit.

*) Superbierunt iſto titulo *Franci*, ſeſeque *liberos* iactabant *Francos*. ECCARD. *Rer. Franc. Or.* XII, 9. XXV, 62. Idem fecerunt *Friſii* ſeu *Belgae* maritimi.

§. 823. An igitur ſubditi Regibus nihil pendebant?

§. 824. Reges ex *propriis bonis* et *latifundiis* vivebant, non ex *tributis Subditorum* (§. 174. ſqq. 815.) Vnusquisque tamen quotannis *annua dona* Regi offerebat.

§. 825. Haec *annua dona* tributi vicem quodammodo ſuſtinebant, et primitus a toto populo liberaliter et alacriter conferebantur.

§. 826. Poſtea haec *dona* graviora eſſe coeperunt, eaque quum non ſatis alacriter praeſtarentur, exigebantur, et tandem in *ius quoddam conſuetudinarium*, facili tranſitu, abierunt.

§. 827. Hoc ius cum *Reges*, tum *Principes*, in ſuis ſinguli territoriis, quiete ſemper ſunt uſi, ſub nomine *annuae petitionis*, *precariae*, *talliae*, et ſimilia.

§. 828. Neque tamen omnia alia *tributi* genera ignoravit Antiquitas. Habebant Reges, et Principes, *annua* illa *tributa* ex agris atque Domaniis quisque ſuis, tamquam *Domini proprietarii.* (§. 817. ſq.)

§. 829. At eodem, quo Reges, modo Principes *Belgae* ab omni memoria *annua* haec *Tributa* exegerunt ex agris ſuis, ſive ab agrorum colonis.

*) Vti antecedentia omnia, ſic et hoc probatur ex Monumentis Hollandicis, ſecul. X, XI, XII, XIII, XIV. in

in quibus memorantur Comitum Hollandiae *precariae*, *exactiones*, *annuae petitiones*, *talliae*, *ſcotum*, *ſcotatio*, vernacule *jaarſcot*, — immo horum immunitates aliis conceſſae.

§. 830. Fuit hoc *tributum* quoddam *praediale*, ſive ſtabilis *cenſus* ex agris, fundisque, ſolvendus; quod onus conſuetum confundi non debet cum alio *tributo praediali* (*'t morgengeld*), poſtea extra ordinem agris impoſito (§. 989.).

§. 831. Antequam Vrbes condi coeperunt, omnes agri, ſive eorum coloni, huic cenſui erant obnoxii; unde *cenſuales* dicti.

*) Nulli erant agri ſine colonis; nullus *colonus* ſine cenſu, cuicumque praeſtando, ſive Principi, ſive privato.

§. 832. Poſtquam autem Principes, Superioritatem Territorialem nacti, inſtar Regum, Vrbes in fundis ſuis excitarunt, quique eo in fundo tunc habitabant, vel praeterea ex agris illuc confluebant, hos *perſonarum* et *bonorum* libertate donarunt: Hi ſimul iſti iuri, ex illo fundo exigendo, renunciarunt, idque, ex *Privilegio*, ad certam quamdam *ſummam* reſtrinxerunt.

§. 833. Probatur hoc de Regibus, et Vrbibus *Germaniae*.

§. 834. Probatur idem de *Franciae* Vrbibus.

§. 835. Imprimis multis idem exemplis docetur de *Belgii*, nominatim *Hollandiae*, Vrbibus.

*) De *Dordrecht*, *Delft*, *Haarlem*, *Leiden*, *Amſterdam*, *Gouda*, cett.

§. 836. Pendebatur *pacticia* haec *petitio* ab aliis, ſingulis annis, ab aliis *tertio* quoque *anno*; et vocabatur vernacule *bede* vel *botting*.

§. 837. Hanc ſummam pecuniae, perquam modicam, aliae urbes Principis Aerario (vel, ut t. t.

Digitized by Google

loquebantur, *aan de Graafſlykheid*) hactenus ſolverunt, aliae redemerunt. Redemit e. g. *Leida* a. 1583. Solvit adhuc *Dordrechtum*.

§. 838. Conſtituta ſic Vrbibus *certa* taxatione, Principes ſibi praeterea reſervabant *caſus* nonnullos *exceptos*, quibus ab Oppidanis *preces* facere ſollemniores, ſive certa ſive incerta quadam pecuniae ſumma taxatas, ſibi liceret.

*) Darent nempe urbium incolae Subſidia:

1) Si ipſe Princeps vel liberi, vel fratres vel ſorores nuptias contraherent.

2) Si heredes inaugurarentur.

3) Si ipſe vel filii milites crearentur.

4) Si Princeps ad aulam ſive Curiam Imperatoris vel Regis Germaniae proficiſceretur.

5) Si in bello caperetur, *cett.*

**) Haec tanta ſaepe alacritate a Subditis ſoluta, ut ſponte et ultro plura, quam peteret Princeps, obtuliſſe legantur. Exemplum inſigne apud ALKEMADE *Beſchr. van den Briel* D. II. bl. 320.

§. 839. Pro annuo igitur praediorum tributo modica quaedam in urbibus penſio, interdum 3, 7, 20. Librarum, ex pacto ſubſtituta.

§. 840. Quod ſi quis *ſervilis conditionis* vel *cenſualis* in urbem poſtea commigraret, is poſt *annum et diem* a iugo privati ſui Domini liber erat et immunis.

§. 841. Hinc multi agmine facto agros deſerebant, et in urbes commigrabant, donec res in abuſum raperetur, et malo obviam iri deberet.

§. 842. Reliqui agrorum *coloni* tributo manebant obnoxii; cui nomen *annuae precariae*, vernacule *Jaarſchot*.

§. 843. Qui hanc ſolvebant, dicebantur *huisluiden*, *buuren*; quorum denominatio ſemper ſecum trahebat *tributum* ſive *ſcotationem*; ac perpetuo iungitur cum *ſchot en bede gelden*.

§. 844.

Digitized by Google

§. 844. Solvebatur plerumque hic cenſus tempore *verno* et *autumni:* unde vernacule *herſt* en *meibede; herfst-* en *mei-* of *lente-ſchot*, *mei-* en *bamis-ſchot.*

§. 845. Quaedam igitur orta videntur de iure conſuetudinario, ſin mavis *colonario* (§. 817-822.) quaedam ex pacto (§ 832-839), quaedam ex libera Subditorum benevolentia (§. 824-827.) Nihil vero hîc vigore Superioritatis Territor., niſi ea fortasſe, quae ex libera donatione (§. 824. ſqq.).

§. 846. Ab ordinaria hac ſcoratione ſive *annua* contributione fuerunt immunes omnes *Ingenui*, ſive *Laici* ſive *Eccleſiaſtici.*

*) Nemo enim vigore Dominii tributum ſolvebat ex iis, quos *proprios* posſidebat, *agris* (§. 812.).

§. 847. *Eccleſiaſticorum* favor qualis et unde?

§. 848. Vocabantur *Ingenui*, generali olim nomine, *Welgeboren*, *Welborene Mannen*, eo nempe tempore, quo titulus *Nobilis* duntaxat competebat Principibus maioris dignitatis, puta *Ducibus*, *Comitibus*, quique his natalibus erant pares, (§. 257.).

§. 849. Abierunt hi *Ingenui*, uti alibi, ſic etiam in *Hollandia*, in duas paullatim clasſes,

1) *Nobilium*, qui *militarem* gradum et ſtatum quemdam conſequebantur (§. 681. ſqq.).

2) *Ingenuorum* ſimpliciter ſic dictorum, qui, ſine feudis, ſine honoris vel gradus praerogativa, ut quieti bonorum posſesſores, ſua bona obtinebant (§. 682.).

§. 850. Manſit in *Hollandia* alibique diu ſimplex is *ingenuorum* ſtatus, iidemque *nobilibus* conditione, non honore, pares, etiam nunc per ſecula XIII, XIV, XV.

*) Egregia nonnullorum in his hallucinatio.

**) Qui *nobilem* ſe profitebatur, illi ſufficiebat docuisſe, *ingenuis* ſe ortum *natalibus.*

***) Qui *ingenuum* ſe probabat, ſimul probabat *tributi immunitatem*.

****) Probantur haec exemplis clarisſimis.

§. 851. Hanc *tributorum* immunitatem, quemadmodum per omnem *Germaniam* et *Franciam*, ita etiam in *Belgio*, ſpeciatim in *Hollandia*, urſerunt ſemper vehementer illi Ingenui, *Edelen en Welgeborenen*.

§. 852. Hinc explicandae gravisſimae ſaepe contentiones inter *Tributarios* (*bedeſchuldigen*) et *nobiles*.

*) Res illuſtratur et probatur multis exemplis.

§. 853. Omnes *ingenui* feudorum erant capaces, et ad militiam obligati (§. 816.), non tamen omnes Feuda maiora et militaria ab Principe conſequebantur.

§. 854. Qui talia obtinebant, postea per excellentiam *Nobiles* dici, et in honore haberi coeperunt (§. 681.).

§. 855. Omne igitur *Tributorum* pondus et onus olim premebat *plebem* ſive *agricolas* illos, qui vulgari nomine *huisluiden*, *ſchotbare luiden*, *ſchot- en bedeſchuldigen*, in genere *plebeii* vel *ex plebe* dicti; qui ipſi, ut *liberi* fierent, in urbes commigrabant (§. 841.).

§. 856. Hinc nata paullatim diſtinctio inter *Edellieden*, *Poorters*, et *Gemeente*.

§. 857. Haec reliquorum immunitas ſubinde pungere coepit reliquos *Tributo* obnoxios (§. 854.).

§. 858. Hinc idem illud ſeculum XIV, quod conditarum vel incolis auctarum in Holl. *Vrbium* fuit feracisſimum, idem illud tumultuum, propter invaleſcentem tributorum molestiam, ferax: unde *ſeculum tumultuarium*; praeſertim, ubi creſcente publicae rei necesſitate creſcebant etiam *tributa* (§. 895.).

§. 859.

Digitized by Google

§. 859. Iustis hisce *Plebeiorum* querelis, isthanc civium inaequalitatem, in dies invaleſcentem, ferre nolentium, paullatim obviam itum est in *a*) *Nobilibus*, *b*) *Eccleſiaſticis*, *c*) *Oppidanis*.

§. 860. *a*) De *Nobilium* immunitate ſaepius *Plebeiorum* querelae in iudicio ſunt examinatae.

§. 861. Hinc illa *Immunitas* reſtringi variis temporibus modisque coepta.

§. 862. 1ma. Reſtrictio,* ex iniuncta in cauſſa litigioſa probatione. Lis Nobilium ac Plebeiorum iam a. 1305. ex aequo ita diremta, ut qui ſuam probare *ingenuitatem* (*zyn welborenſchap*) amplius non poſſet, is *Tributa* cum reliqua plebe perſolveret.

*) M. VOSSIVS *Annal. Holl.* p. 265. MIERIS *Charterb.* D. II. bl. 48. cf. bl. 33.

**) Hinc repetendae tot posterae lites, et ſententiae iudiciales, de iis, qui *Nobiles* ſeſe ſive *Welborenen* ferebant; ſed propter commixtionem cum *Plebeiis* (§. 864.), istiusmodi asſertum vel non amplius, vel gravate, probare poterant.

§. 863. 2a. Reſtrictio, ex emto. Qui agros emerat *cenſuales*, hos tributis eximebat emendo. Quod quum vehementer praeiudicaret reliquis, malo medicinam fecerunt Principes, promulgato edicto, ut, quidquid cenſualis praedii in futurum emeretur, id conſueto Tributo obnoxium maneret.

*) *Schotbaar land zal ſchotbaar blyven*, id est, *praedia ad* emtorem cum onere transeunto, nec perſonalis immunitas emtori prodesto.

§. 864. 3a. Reſtrictio, ex nuptiis. Multi *ingenui*, ut ſaepe fiebat, praerogativae ſuae obliti, cum hominibus ordinis plebeii, maiores ſubinde opes adeptis, nuptias contrahere coeperunt. Hinc cautum postea, ut eo in caſu hi *Cenſui* ſeſe obnoxios redderent.

 §. 865.

Digitized by Google

§. 865. 4ª. Reſtrictio, ex pactis. *a*) Vt abuſui obex poneretur, Princeps Dynastias ſuas vel Ambachtias ea interdum lege aliis dabat, ut ex illarum praediis ſolita conferrentur Tributa.

§. 866. *b*) Quum omnis olim alluvio Principis eſſet (§. 799.), hinc terras ea ſaepe concedebat conditione aggerandas, ut his 5. 7. pluriumve annorum daretur immunitas, quibus elapſis agri forent *tributarii*, reliquisque terrae oneribus ſubiecti.

*) Vulgo *Octrooien van bedyking.*

§. 867. 5ª. Reſtrictio, ex generali *Edicto* ſive Lege. Multa postea immunitates praetendebantur, quarum difficilis erat probatio, et controverſia. Hinc generali cautum edicto: ut, ſi valeret immunitas, probari illa ad iuris ſufficientiam deberet, producto Privilegio, vel alio Documento authentico.

*) Hinc multa, olim ex astu, ambitione, vel uſurpatione Principum derivata, ad aequitatis amusſim exiguntur.

§. 868. *b*) *Eccleſiaſtici*, tamquam *ingenui*, prima quidem aetate, immunes erant a Tributis.

§. 869. Sed postea Principes ex pia devotione multa his concedebant Privilegia, omnesque eorum Eccleſias terrasque immunes declarabant.

*) Vti omnia, ſic et hoc probatur exemplis et monumentis in *Hollandia.*

§. 870. Haec tamen immunitas quum maxime in fraudem aliorum vergeret, iterum variis limitari coepta est reſtrictionibus.

§. 871. 1ª Reſtrictio. Vt, qui Eccleſiaſtici *bona propria* emerent, ex his immunes amplius ne eſſent.

§. 872. 2ª. Reſtrictio. Vt hi Eccleſiaſtici prohiberentur emere Terras, Ambactias, Decimas. — —

§. 873.

§. 873. 3ª. Reſtrictio. Vetabantur Eccleſiae et corpora Eccleſiaſtica bona emere immobilia.

§. 874. 4ª Reſtrictio. Ex generali tandem Edicto cautum, ut, qui bona Eccleſiis immunibus legarent, vel alio modo relinquerent; id ne facere liceret inconſulto Principe. —— ——

*) Haec et alia ſaepe repetita.

§. 875. *c*) Praeter *Nobiles* (§. 860. ſqq.) et *Eccleſiasticos* (§. 868. ſqq.) reſtricta etiam pedetentim est *Oppidanorum* immunitas.

§. 876. Qui post conceſſam urbibus *libertatem* (§. 832.) ulterius intra illius *libertatis* ſive *Oppidi* moenia ſe conferebant: hi ex illa Tributi immunitate perſonali habebant immunitatem, etiam in praediis, quae extra urbes reliquerant.

§. 877. Per nimiam igitur civium in urbes adfluentiam, et maximam praediorum ab agricolis derelictionem, omne tributi onus penitus tandem in reliquos *ruricolas* redundabat; et hinc graviſſimae ſaepe propter inopiam ad ipſum *Principem* vel eius *Curiam* querelae.

*) Imprimis crebra huius generis exempla ſub *Alberto Bavaro*. e. g. MIERIS *Charterb.* D. III, 579. *Dat wi verſtaen hebben, dat zommige onſe bueren en onderzaeten van . . . . . veel verarmen, en in Steden en elwaers varen woonen, overmits dat hem te ſwaer en te groot wort ons te dienen.* ——

**) Additur rei ratio.

§. 878. Duplici igitur de his cautum est via.

a) Interdum ad preces ſuas relevabantur reliqui ruricolae, pro rata discedentium portione.

*) Propter commigrationes in urbes, et ingenuorum immunitatem, nonnunquam *decem* vel *octo* modo *cenſuales* in *uno pago* vel *villa* relicti leguntur.

**) Graviſſimum exemplum ſuggerit G. VAN LOON *Aloude Regeeringw. van Holl.* D. IV. bl. 253. ex Charta PHILIPPI *boni* a. 1456.

b) In-

b) Interdum, qui diſcesſerant, ab ea tamen, quam antea ſolverant, portione ob discesſum non amplius liberabantur.

§. 879 Prior modus et Principis aerario moleſtus, et increbrescente Subſidiorum mole aliis noxius (§. 878.).

§. 880. Praevaluit igitur alter modus, et hinc:

1ª. Reſtrictio. Vt in poſterum, qui in urbes commigrarent, etiam ſolverent ex praediis, tributo antea obnoxiis.

*) Probatur de oppidis Hollandiae.

**) Hinc regula ex generali ad omnes Balivos Edicto: *een huisman ſoorter wordende geld bede*; MIERIS Charterb. D. II. bl 671. b.

§. 881. 2ª. Reſtrictio. Oppidani comparatis ſibi per mercaturam aliasque ditandi vias opibus, ubique locorum praedia coëmebant, eaque a *tributis* libera obtinebant. Hoc aequitati contrarium prohibuerunt Principes, primo ad tempus quoddam, et certis in locis; deinde generali ſanciverunt Lege, ut quicumque Oppidanus terras emeret tributarias ſive *cenſuales*, eas cum omni onere emeret.

§. 882. 3ª. Reſtrictio. Ex laxiore Privilegiorum interpretatione (§. 605. cf. 599.) et orto hinc abuſu, gaudebant multi, rure habitantes, ac nomine *Landpoorters* (*Pfalburgers*) inſigniti, eodem civitatis iure. Vrſit hoc malum Principes, urſit et reliquam plebem. Hinc multae controverſiae; et praetenſa haec immunitas ſaepe reſtricta.

§. 883. 4ª. Reſtrictio. Ne ſic quidem represſum est malum, nec relevati penitus ruricolae.

Hinc prohibitum *a*), ne quis Cenſualis amplius *Oppidanus* cooptaretur. *b*) Ne quis intra proximos tres annos *Oppidanus* reciperetur, et ſimilia.

§. 884. 5ª. Reſtrictio, ex pacto. In erigendis novis Vrbibus, eisque iuribus inſtruendis, cavebant postea

poſtea Principes, ut hae cum reliquis Subditis *Subſidia* et *Onera* ferrent conſueta.

*) Res probatur, et ratio datur, cur minores Vrbes, in concedendis *Petitionibus*, ex reliquarum Vrbium conceſſione, ſaepe poſtea obligarentur.

§. 885. Haec de *immunibus*. De *Cenſualibus* eadem regula. Multi ex his opibus aucti agros emebant immunes. Ex aequa igitur Lege et hi agri *obnoxii* facti.

§. 886 Extenſa est porro haec reſtrictio ad *Munia*. Ad munia, honores, et officia olim admiſſi nonniſi *ingenui*. Tamquam lates immunes erant *Sculteti* et *Scabini*. At contigit poſtea, ut et hi caperentur ex *tributariis*, ſive eſſent revera tales, ſive per emtos plurimos agros tamquam tales habiti.

*) Obſervandus hic rerum progreſſus, et temporum mutatio; unde multa explicanda.

§. 887. Huiusmodi *cenſualis*, ſi fieret *Scultetus* vel *Scabinus*, propterea non immunis.

§. 888. Quo fraudibus obviam iretur, cautum etiam, ut, qui alio habitatum concederet, tributum illic penderet, ubi *cenſualia* eius *bona* iacerent.

§. 889. Si quis *Cenſualis* poſtea aliquid *feudi* ab aliis acciperet, hoc ipſum non reddebat immunem; exceptis tantum *Feudis*, ex Principis Domanio exortis, et unde Principi obligabantur.

§ 890. Permittebatur interdum Oppidanis a Principe facultas ad tempus peregre abeundi, ea conditione, ut ne ceſſaret cum reliquis *Oppidanis* ſua onera contribuere.

§. 891. Sic tandem omnis fere tributi *immunitas* reſedit in ſolis Principis *Feudis*, quae *Nobiles* habebant, iisque in bonis, quae iidem ex *aviti praedii* poſſeſſione ſarta tecta, nullique ex ante dictis reſtrictionibus obnoxia, ſervarant.

I 5 §. 892.

Digitized by Google

§. 892. Hactenus de *Tributo ordinario*, ſive annua petitione, Belgice *Jaarſchot*; quae Tributa *Ordinaria* confundi non debent cum *extraordinariis* illis *Petitionibus*, *Contributionibus*, *Subſidiisque* postea exortis (§. 917. ſqq.).

§. 893. Probatur pluribus diſtinctio inter *ordinaria* illa, quorum erat obligatio, et *extraordinaria*, ad quae nemo obligatus.

§. 894. *Ordinaria* alio nomine Francis vocantur *legitima*, Germanis *neceſſaria* et *de iure debita*. Contra *extraordinaria* dicuntur *voluntaria*.

§. 895. Mutatis nempe temporibus; mutataque bellandi ratione; auctis immenſum impenſis aulicis, multiplicatis incolis, creſcentibus Magiſtratibus, Officialibus, Tribunalibus, cum iisque creſcente rerum gerendarum mole; contra vero imminutis et decreſcentibus Principum *Reditibus* atque *Dominiis* (Belg. *Domeinen*), ex varia non modo et ſaepe neceſſaria in ſubditos munificentia, ſed imprimis ex maioribus, quae ad promovenda belli pacisque negotia et ſustentandas Reipublicae vires, requirebantur impenſae; adeoque his Principum *Reditibus*, potisſimum in bellis, non amplius ſere ſufficientibus: hinc ad extraordinaria illis confugiendum fuit remedia; ac tunc demum, ex *praecepto* iuris publici univerſalis, nihil iustius, nihil aequius, quam ut *Subditi*, a Principibus ditati, honoribus, bonis, privilegiis mactati, ubi Principis aerarium non ſufficiebat, ex ſuis opibus ad onera Reip. ferenda in conſortium venirent.

*) *Tribunalia territorialia*, *Magiſtratuum Officia*, *Territorii munimenta*, *ſumtus legationum*, *militia alenda*, *opera publica* cett. illa omnia ex hoc Principis Aerario erant ſolvenda. Et nemo niſi Princeps haec onera ferebat. Hic honor eius, hoc eius onus erat. *Cuius* enim est *Territorium*, eius est *territorii* defenſio (§. 427.)

§. 896.

Digitized by Google

§. 896. Ex aequitate nimirum haec! et citra iuris neceſsitatem!

*) Haec enim vera et genuina *Libertatis Germanicae* eſt indoles, ut nemo invitus ad pecuniam conferendam de ſuo adigi posſet, quatenus *militare* et *terras* Principis ſui perſonaliter defendere erat obſtrictus (§. 815. ſq.).

§. 896*. Non tamen ſemper et ſtatim ad *extraordinaria* haec remedia convolarunt *Hollandiae* Principes. Quando ex multa ſaepe in ſubditos liberalitate, atque ex ſumtibus in publicae rei adminiſtratione impendendis, exhauſtum ad tempus ipſorum esſet *Aerarium*, et *bello* tamen *peterentur*, unde novis impenſis opus erat, primis temporibus *pecuniam* mutuo ſumere ſolebant.

§. 897. Ab *extraneis* hanc petere, uti nunc in variis Europae partibus mos fere obtinet, olim non erat via cognita, nec ſatis expedita.

§. 898. Petebant ab *incolis*, potisſimum ab *urbibus*, quae commercio et opibus in dies augebantur.

*) Probatur hoc multis exemplis.

§. 899. Contrahebant hinc multa, eaque ſaepe gravisſima *Nomina* et *aes alienum*.

§. 900. Vſurae pro his expendendae Principes magis magisque egenos, et ſaepe nonnullis hinc Subditis tamquam privati ſeſe obnoxios reddebant.

§. 901. Aes alienum Principum ſaepe ita creſcebat, ut etiam *a*) *reditus* ſuos, vel *telonea*, aliave oppignerarent, vel aliis modis obligarent.

§. 902. *b*) Ipſa etiam *Dominia* ſua, *Castra*, *Praefecturas*, vel oppignerabant, vel vendebant, aliisve modis alienabant.

§. 903. *c*) Neque modo *a*) *Reditus* (§. 901.), et *b*) *Domania* (§. 902.), ſed etiam *c*) *Munia* et *Officia*.

§. 904. *d*) Interdum ita presſi, ut uxoris *Vniones* et

et *Adamantas* oppigneraſſe vel vendidiſſe legantur.

§. 905. Principes autem, contracto ſic aere alieno, promittebant, ſolvere ſua, vel, quae Deceſſor contraxerat, debita.

*) *Die te bewyſen, op te beuren van allen onſen renten, beden, broeken, opcominghen en vervallen die ons in onſe lande — verſcenen ſyn ende noch verſchinen.* — MIER. D. IV. bl. 752.

§. 906. An recte MARGARETA coniux ALBERTI *Bavari* bonis Mariti ceſſerit, et maxima ſollemnitate iis renuncians, debiti aeris expunctionem fecerit, ſalvo ſibi *duario* ſuo?

*) Rem narrat WAGEN. *Vad. Hiſt.*

**) Non obſervata a multis diſtinctio inter iura *publica* Principum, et ubi tamquam *privati* agunt. De quo alias.

§. 907. An recte hinc ſubditi a MARIA Principe, eo imprimis tempore, quo *Principis Aerarium* per bella Parentis maxima difficultate premebatur, nihilominus exegerint promiſſum de remittendis *ſubſidiis* iam antea conceſſis et indultis?

§. 908. Pro Principum aere alieno ſaepe fideiubebant *Vrbes*, ſaepe *Miniſteriales*, *Aulici*, *Nobiles*, ipſi interdum *Ordines*.

§. 909. Vnde et hi pro Principe ſuo ſaepiſſime aes alienum contrahebant ſat grave (§. 908.) imprimis Vrbes.

§. 910. Hinc hos et illas indemnes reddere, literis fideiuſſoriis, promittebant ſaepe Principes.

§. 911. Interdum etiam ſeſe mutuo obligabant Vrbes, quo indemnes praeſtarentur.

§. 912. Remittebant hinc interdum Principes urbibus, aere alieno preſſis, ſuas indultarum *petitionum portiones*, donec aes illud ſolviſſent.

§ 913. Vel dabant urbibus facultatem *vendendi uſuras*, vernacule, *renten te verkopen.*

§. 914.

Digitized by Google

§. 914. Quod quum urbes pedetentim proprio marte facere coepiſſent; et multi hinc abuſus orirentur; prohibuit id CAROLVS V. ſe inſcio.

§. 915. Eumdemque in finem ſaepe dabant urbibus ius *Acciſas* imponendi *eſculentis* ac *potulentis*, ſive ad tempus, ſive perpetuo.

§. 916. Harum *Acciſarum* abuſus postea ſaepe repreſſus.

§. 917. Aucta hinc ſubinde Principibus neceſſitas, in caſibus praeſertim repentinis, ut ſupplerent Aerarium ſuum ope *Petitionum extra ordinem faciendarum.*

§. 918. Prima harum in ſcriptis et monumentis Hollandicis, ſed ſatis infrequens, mentio ſec. XIV.

§. 919. Per ea vixit tempora ALBERTVS *Bavarus*, quibus *extraordinariae petitiones* nondum tantopere, certe non regulariter, invaluerant.

*) Hinc male ſaepe propter pecuniae aviditatem carpitur ALBERTVS.

§. 920. Sec. XV. magis regulariter expeti coeperunt.

§. 921. Petebantur haec Subſidia primo in *caſibus* tantum *extraordinariis* ad hunc vel illum *actum*, ad hoc vel illud *tempus*, ab *his illisve.*

§. 922. Postea in certum quendam annorum numerum erogabantur.

*) Hinc memorantur *petitiones ſexennales*, *decennales* (*6 jarige*, 10 *jarige beden.*)

§. 923. Erant haec omnino *gratioſa*, eaque ex mera ſubditorum gratia Terrae Domino et Territorii defenſori, pro ingruente neceſſitate et pro modulo facultatum, ſolvebantur.

§. 924. Hinc iſta primo *Petendi* aevo non dabantur fere, niſi exhibitis a Principe literis, quod fieret iſtud, ſine *iuris praeiudicio* et ex *mera gratia*,

tia, adiectis interdum promiſſis, impenſum iri conceſſa ad ſolvendum aes alienum (§. 905, 908. ſq.) ſive in publicam utilitatem.

§. 925. Habentur huius generis in *Germania* infinita exempla.

§. 926. Habentur in *Francia*.

§. 927. Exhibentur etiam in *Hollandia* exempla permulta, quod Principes haec de *mera* concedentium *gratia*, non vero *de iure* accepiſſe profiteantur.

§. 928. Pro his ſubſidiis gratias etiam agebant Principes.

§. 929. Beneficae illae conceſſiones, privatim antea exhibitae, anſam poſtea dederunt et cauſſam, cur, formato et ſub Principe comprobato *Ordinum* Hollandiae collegio, convocatis hunc in finem Ordinibus, magis generaliter ab omnibus terrae incolis, per Ordines repraeſentatis, (§. 724.) haec expeti et ſolvi coeperint (§. 740.).

§. 930. Vtcumque haec igitur ex uſu et moribus ab *extraordinariis* facta ſunt *ordinaria* (§. 972.), manſit tamen lex illa ſevera ac ſalutaris, ut nusquam fere, niſi *Ordinum conſenſu*, haec Subſidia erogari potuerint.

§. 931. Idem obtinuit in Hollandia, et in toto Belgio.

*) Egregium ad *Ducem Albanum* ab Brabantinis datum reſponſum.

§. 932. Ius circa haec *Subſidia extraordinaria* fundamentum et baſis est plerorumque Privilegiorum, quibus gaviſi olim ſunt *Ordines Provinciales*.

*) Et recte hinc *Ordines Provinc. Hollandiae* ipſi ſeſe vocant *Collegium* a Principe *approbatum* ad deliberandum circa rationes *Subſidiorum*, eorumque ſequelas. Vernacule: *Dat het Collegie van de Staten van allen oude tyden een* COLLEGIE *ghehouden is gheweest*, GEAPPROBEERT *by ſyne Majeſteyts Voorſaten, daerby de ſaecken*

van

van den Lande worden gehandelt ende gedirigeert in reſpecte van DE BELASTING *of* VERLICHTING *van de Ingeſetenen van dien en het gundt daar aen dependeert.* Sic ipſi teſtantur de ſemet Ordines Holl. a. 1564. d. 13. Dec. Vid. *Reſol. van Holl. h. d.*

§. 933. Hoc Collegium, ab ipſo *Principe*, vel eius *Curia* vel *Gubernatore*, convocatum, detrectare haec iusſa non poterat; at petitam pecuniam, de iure ſtricto ſi ſumas, denegare poterat omnino.

§. 934. Vnde blande hic omnia et benigne ex parte *Domini.* Proponebat ac deſideria de *Subſidiis* ſibi erogandis exponebat.

§. 935. Ex parte vero *Ordinum*, (quibus in illa conſentiendi ſubditorum nomine facultas), fideliter quidem et uti ſubditos decebat; ſed cum conveniente libertate! Collatis nempe deſideriis, conſiliis ac ſuffragiis, plerumque tandem conveniebat de *certa* tributi *ſumma*, de *modo* id exigendi; etiam de *uſu*, et *tempore* durationis.

§. 936. Exſtant tamen exempla *petitionis* denegatae, ad tempus certe, vel dilatae, vel alia conceſſione redemtae.

*) Exhibentur illa, et probantur omnia, ex Monumentis iſtius aevi.

§. 937. Magna ſaepe *Petitionis* pars redibat in ipſos *Ordinum*, vel *Vrbium*, vel privatorum *eorum* loculos, qui aes alienum pro Principe contraxerant (§. 908. ſq.).

§. 938. Hinc ex iuſto et aequo ferri iudicium poteſt, *Subditi*ne recuſare ſubſidia potuerint nec ne, ubi publica ſalus et evidens necesſitas id exigerent, et Principis Aerarium ſive Camerae reditus id temporis publico uſui haud ſufficerent.

*) WAGEN. *Vad. Hiſt.* D. V. bl. 371. *f. De Preſident Viglius vertoonde dit van Holland* (ſub CAR. V. a. 1552.) *in*

Digitized by Google

in 't byzonder, dat 's Keizers UITGAAVEN, *in 't voorleeden jaar, veel meer dan zyne* INKOMSTEN *beloopen hadden.*

§. 939. Omnia hic igitur metienda ex *neceſſitate* et *aequitate.*

§ 940. Non poterat tamen Princeps has poſſeſſiones *invitis* eripere vel extorquere.

*) Hinc atrox Albani Ducis facinus in exigendo decimo Denario, *quem omnes pene Status deprecati ſunt*, et pro quo omnia dare maluiſſe, recte Belgae dicuntur, nî *Decimum* darent, quia *cogi nolebant.*

§. 941. Vtrum in concedendis Tributis maior *ſuffragiorum* pars ſufficiat, quae reliquos obſtringat, in Imperio etiam, acerrime olim disceptatum.

§. 942. Quid in *Hollandia* obtinuerit, disquiritur (§. 957.).

*) Quae in his omnibus partes fuerint *Advocati Hollandiae* ſive *Ordinum Hollandiae*? eius nomen et origo? —

§. 943. Post *Ordinum* in ſummam pecuniae conſenſum, omnia iterum erant Principis; et *Subditi* ex hoc Ordd. conſenſu illa onera conferre erant obligati.

§. 944. Saepe tamen *Ordines* ſimul indicabant media, quibus commode conferri indulta *Subſidia* poſſent.

§. 945. Modum ab Ordinibus indicatum, ac propoſitam exigendi viam, concedere, erat Principis, qui his ſaepe annuebat.

§. 946. Sequebantur tunc 1) *Quotatio.* 2) *Distributio.* 3) *Collectio.* 4) *Exſecutio.*

§. 947. 1) Si qua quaeſtio de ſumma ſive *quota*, quam vocabant, inter alios partienda, distribuenda, vel augenda, vel munienda, hoc decidere, ſolius erat Principis.

§. 948. Si pecuniae per certum quemdam num-

mum

mum (ſive per *Schildtalen*) exigerentur, curabat hoc Principis *Quaeſtor Petitionum* ſive *Ontvanger van de Beden*, cum minoribus ſuis.

§. 949. Si vero postea alia id fieret ratione (§. 975. ſqq.), rogabant, vel impetrabant ad id *Ordines* a Principe mandata ſive Indulta, (*Octrooien*).

*) Recte hinc *Ordines* anno adhuc 1571. (*Reſol. van Holl.* h. a. d. 18. Maii) dicunt: *dat Zy in 't heſſen van de Imposten en andere Omſlagen zyn alleenlyk naackte Executeurs van zyne Koninghlyke Majeſteyts Beeden, die zyne Majeſteyt heeft geauthoriſeert by ſulcke Middelen te furneren de voorſ. Beede.*

§. 950. 2) *Distributionem* in ſingulis pagis, urbibus, cett. aliis vel mandabant, vel ex Privv. permittebant.

*) Varii *Distributionum* modi.

§. 951. 3) *Collectio* varie peragebatur.

§. 952. Ad eam requirebantur Collectores (§. 1015. ſqq.)

§ 953. 4) Sequebatur in refractarios vel deficientes *Exſecutio*, quae varia etiam, et variis peragebatur modis, ac poenis.

§. 954. Vt haec peragi *Exſecutio* ab Ordd. aliisve posſet, requirebantur Principis *literae Exſecutoriae*, quae vocantur.

§. 955. Verum quum *Subditorum* magis quam *Principis* interſit, quomodo *Petitiones* conferantur, dummodo aequo pede et ſine fraude fiat: hinc multum in his *Ordinibus* relictum vel permisſum.

§. 956. Non poterant tamen cuiquam quidquam oneris imponere, vel exigere, proprio marte, vel inſcio Principe. Contra potuit Princeps ab *extraordinariis* etiam concedere *immunitates*, vel *remisſiones* a ſemel concesſis.

*) Probatur res multis exemplis.

K §. 957.

